
BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVI 3597

D° 173 514

1835
przeglad



NARRATIO DE ORTV, VITA, ET OBITV REVERENDI VIRI, D. HENRICI BVLLINGERI,

Tigurinæ Ecclesiæ pastoris: inserta mentione præcipuarum rerum quæ in Ecclesijs Heluetiæ contigerunt: & Appendice addita, qua postrema Responsio Iacobi Andreæ confutatur: auctore IOSIA SIMLERO Tigurino.

ACCESSERE *Carmina à viris bonis & doctis in eiusdem obitum scripta.*

Item ORATIO FVNEBRIS, Auctore D. IOANNE GVILIELMO STVKIO Sacrarum literarum Professore in Schola Tigurina.



TIGVRI *Excudebat Froschouerus* 1575.

Sum ex libris M. Joannis Westerfeldij Cronbergensis, 1620.

36.835



XVI. Qu. 3597.

GENEROSO ET MAGNIFICO DOMINO, DOMINO IOANNI PHILIPPO LIBERO Baroni ab Hohen Sax, D. in Sax & Forstegk, &c. Domino suo colendo: IOSIAS SIMLERVS gratiam & pacem à Deo patre Domini nostri IESV CHRISTI precatur.

VETVS hæc fuit consuetudo Generose Domine, ingenij & literarum monumentis memoriæ posteritatis consecrare, non tantùm Imperatorum & principum virorum res fortiter & cum gloria gestas, sed eorum quoq; facta & consilia, qui ingenij, & doctrinæ, & sapientiæ illustri fama celebres fuerunt. Ac Xenophon vtroque scribendi genere præclarè de mortalium reb. meritus creditur, qui & Cyri Persarum regis historiam, & Socratis Græcorum sapientißimi dictorum factorumq; commentarios conscripsit. Etsi enim bellica virtus, in qua animi altitudo maximè elucet, semper & excellens & memorabilis in societate humana extitit, suam tamen quoque illustrem laudem & famam, doctrinæ & sapientiæ studia habuerunt. Nec minus gloriosum est alios de religione docere, & virtutũ illustri exemplo prælucere reliquis, quàm fortiter pugnare & belligerare. Quapropter neminem fore existimo, qui mihi vitio vertat, si doctrina excellentium virorum, qui nostra ætate vixerunt, & mihi noti fuerunt, dicta & facta literis mandauero. Ac alia quidem huius generis ante à me publicata sunt, & plura deinceps (si Deus volet) publicabuntur: Nunc autem ad te Generose Domine, vitam R. V. D. *Henrici Bullingeri nuper à me descriptam mitto, quam vt in publicum emitterem, duæ me præcipuè causæ impulere, primùm quòd scio quamplures esse*

per Germaniam, & exteras quoq; regiones, qui Bullingerum propter scripta plurimum amarunt, & historiam vitæ eius scire desiderant, quibus omnibus meum hunc laborem gratum, & exemplo etiam fortè vtilem fore existimo. Sunt deinde alij, qui nihil nisi suum probant, & nostra ætate imperium in Ecclesia sibi vendicare conantur. Hi cum gaudeant mortuorum gloriam allatrare, visum est eorum calumnijs vera narratione, quæ non modò Bullingeri facta, sed præcipuas res Ecclesiarum nostrarum continet, occurrere. Etenim cum superioribus annis Bullingerus lethaliter decumberet, & fama mortis eius à quibusdam diuulgata esset, meministi adhuc opinor Generose Domine, quàmuis tùm admodum adolescens esses, quæ tripudia fuerint aduersariorum, quàm multa vana literis quorundã & sermone sparsa fuerint. Quare cùm mihi nõ dubium sit, similia mendacia eosdem homines, qui mendacijs, vt Chamæleon vento, aluntur, nunc quoque disseminaturos esse, existimaui me bonam operam nauaturum, si seriem vitæ Bullingeri, vera & simplici narratione exponerem. Et quoniam ille præcipuus pastor nostræ ecclesiæ multis annis fuit, intertexui mentionem præcipuarũ rerum, quæ toto hoc tempore in ecclesijs nostris, vel gestæ, vel disceptatæ sunt: quæ poterant quidem & debebant copiosius exponi, & pro dignitate sua elegantius explicari, quod fortè alij facient, nos ea breuiter complecti voluimus, & hactenus tantum quantum cum instituta historia vitæ Bullingeri coniuncta fuerunt. Cùm vero huic nostro labori, quemnam pro more patronum adhiberem, circumspicerem, tu maximè omnium Generose Domine, inter nostros homines occurristi, de quo mihi polliceri possem, eum me patronum habiturum, qui & magnam authoritatem, & promptissimam etiam voluntatem ad huius scripti defensionem afferret. Quem enim potiorem patronum deligerem te ipso Generose Domine, cuius apud nostros homines, ob illustre antiquiss. familiæ decus summa est dignitas? Neq; enim adeò immanes & barbari sumus, vt falsò

quidam

quidam de Heluetijs scribunt, apud quos nulla prorsus nobilitatis dignitas sit & existimatio. Nam vt alias familias nunc omittam, vestra quam Latino nomine Iouius Altosaxam nuncupat, supra sexcentos & quinquaginta ab hinc annos in his nostris regionibus clara & celebris fuit, ac Henricus Auceps, cùm militaria exercitia institueret, Friderici Altosaxi, vtpote vnius è vetustissimis et clarissimis nobilibus, consilio vsus est, et tot ab hinc seculis clara et celebris apud nos manet vestræ familiæ nobilitas et gloria. Nã vt alios omittã bello et rebus gestis celebres, magnificentiæ tuæ auus Huldricus summam inter Heluetios authoritatem obtinuit, & maximas res gessit, cùm bello Sueuico, quo Heluetij libertatem suam contra Maximilianum imperatorem & fœdus Sueuicum defenderunt, tùm etiam in bellis Insubrum, in quorum descriptione Iouius perhonorificam mentionem eius facit. Pater verò quondam fœderatus & stipendiarius regis Gallorũ, diu bellis Subalpinis ordines duxit, & optimi ducis atq; fortissimi militis nomen assecutus est, eamq; sibi existimationem comparauit, vt apud omnes honoratus, sed præcipuè Tigurinis quorum ciuis esse uoluit, charus sit, qui eius cõsilio in grauissimis rebus, et quæ ad totam rempublicam spectant, libentissimè vtuntur. Tu verò generose Domine, amplissimæ maiorum gloriæ peculiare ornamentum bonarum literarum & artium adiunxisti. Ac aliquandiu in Regum & principum aulis, & celeberrimis etiam scholis versatus, eam de te opinionem commouisti, vt illustrissimus atq; sapientissimus princeps, Elector Palatinus Rheni, te dignum iudicarit, quem grauissimarum rerum consilijs adhiberet. Confido autem te pro tuo in bonas literas amore, non grauatim patrocinium huius operæ suscepturum esse, idq; eò lubentius, quòd Bullingerus, cuius facta hîc narrantur, Generoso domino Huldrico Philippo M. T. patri primus & præcipuus auctor fuit reformandi ecclesias suæ ditionis iuxta Euangelij normam: ac propterea vtriq; parenti semper deinceps pro

singulari eorum erga veram religionem studio charißimus extitit. Quantopere etiam tu ipse generose Domine optimum senem amaris simul atque colueris, bonis omnibus apud nos perspectum est. Et quum res Bullingeri tibi fuerint notißimæ, optimè omnium de veritate narrationis meæ iudicare poteris. Fui equidem arctißima necessitudine Bullingero coniunctus, eumque quoad vixit patris loco colui, ille me vicißim pro filio habuit, sed qualiscunque hæc fuit coniunctio, ea non tam derogare quàm confirmare fidem narrationi meæ debet. Quòd scilicet non tantùm dicta & facta, verùm etiam consilia ipsius mihi melius quàm cuiquam alieno cognita et perspecta fuerunt. Quòd si Encomium scribere instituissem, meritò fortè domesticus laudator reijci possem: nunc verò mihi propositum fuit simpliciter res ipsas narrare, iudicium lectori relinquere. In hac autem narratione nullius falsi mihi conscius sum, ideoq; te generose Domine & omnes alios, quibus res Bullingeri notæ fuerunt, iudices meæ narrationis esse cupio. Postremò cum me hactenus singulari amore prosequutus sis generose Domine, & tuæ beneuolentiæ non leuia testimonia habeam, quæso vicißim, hoc meæ obseruantiæ qualecunque indicium, grato animo accipias, atque in eo non muneris splendorem, sed animum offerentis spectes. Cum enim aliud nunc non haberem, hoc quod ad manum erat tibi offerre, & exiguo hoc scripto M. T. προσφωνεῖν volui, ac sic vna eademq; opera & meam obseruantiam testari, & tuum patrocinium petere, meq; tibi commendare, vt me meosq; labores, eadem qua hactenus beneuolentia, deinceps etiam tueri & complecti pergas. D. O. M. te nobis, hoc est ecclesiæ & bonis literis incolumem diutißimè conseruet. Tiguri 5. Kalend. Nouembris 1575.

NAR-

NARRATIO DE ORTV, VITA, ET OBITV REVERENDI VIRI, D. HENRICI BVLLINGERI, *Tigurinæ Ecclesiæ Pastoris.*



ENRICVS BVLLINGERVS NATVS est in oppido Bremogarta dicto, qua parte pagus Tigurinus Vrsam fluuium & fines pagi Verbigeni attingit, fit illac iter ex Italia per alpes Lepontias & Lucernam Heluetiorum in Germaniam primam, & Belgicum secundis fluminibus Vrsa & Rheno. Id oppidum quondam Austriorum principum fuit, sed Friderico duce à Constantiensi concilio, & Sigismundo Imp. proscripto Heluetij id bello cepere, & nunc VIII. veterum pagorum imperium agnoscit. Bullingerorum familia ante ducentos annos illuc commigrauit, cum prius ruri in proximis villis habitasset, & ab eo tempore sub Austrijs principibus, & postea etiam sub Heluetijs, præcipuos ciuitatis suæ honores consecuti sunt & gesserunt. Annus tum agebatur quartus supra millesimum quingentesimum, die XV. Calendas Augusti, qua die ante annos CCCCIV. Gothofredus rex terræ sanctæ ex hac vita excessit. Statim in ipsa infantia bis de vita periclitatus & mirabiliter à Deo conseruatus fuit, primùm enim peste correptus, adeò grauiter morbo afflictus fuit, vt iam videretur animam egisse, cum subitò præsentibus his qui funus curaturi venerant, præter omnium opinionem reuixit: postea cum paruulus fistulã inflans puerili more luderet, inter currendũ lapsus adeò grauiter illam gutturi impegit, vt illa extracta largus sanguis efflueret, ipse verò penè exanimis iacuit, quinq; dieb. nullo cibo admisso, rursus tamen Dei beneficio conualuit. Etsi autẽ pueris multa huiusmodi accidere solent, quę plerique contemnunt & negligunt tanquam fortuita, certum tamen est hæc esse testimonia diuini fauoris quo suos complectitur & tuetur: itaque meritò hęc à pijs obseruantur, vt Deũ tãtò ardentiùs ament, quò plura & maiora

1504

beneficia ab ipſo acceperunt. Et non tantùm oſtenta & prodigia quæ ſæpè in ortu & infantia magnorum virorum acciderunt, vt apes mel in os pueri Platonis congeſsiſſe, & ſimilia, quę in hiſtorijs veterum occurrunt, futuræ eorum gloriæ ſigna fuerunt, ſed in aduerſis caſibuſ mirabilis & præter opinionem affulgens liberatio & conſeruatio, indicium eſt tales à Deo ad ſingulare aliquod miniſterium tam beneuolè conſeruari. Ac laudanda eſt parentum pietas, qui hæc & obſeruarunt, & filio ſuo inculcarunt, quæ ille poſtea ſæpè ſuis quoque liberis commemorare ſolebat, eos adhortans vt fiderent paternæ Dei circa ſe ac ſuos prouidentiæ, ſeque gratos & obedientes Deo exhiberent. Poſſent multa de parentum virtute, probitate, cura & diligentia in educando filio commemorari, ſed ſicuti agri conſiti pulcherrimus aſpectus & copia fructuum, agricolæ induſtriam declarat, ita doctrinæ & virtutum lumina quæ in filio eluxerunt, de parentum virtute teſtantur. Pater ipſius literarum pe-
1509. ritus erat, & eas ſupra modum amabat, itaque puerum adhuc tenerum, & qui nondum quintum annum ætatis impleuiſſet, in ſcholam triuialem eius oppidi deduxit, vt prima literarum rudimenta diſceret. Apparebat in puero egregia indoles, ea quæ proponebantur facilè percipiebat, quæ memoriæ mandanda, breui complectebatur & fideliter retinebat: vox & pronuntiatio ſuauis erat, & quamuis in puero, expedita & plana: ſed ea ætate ſtudia literarum in Heluetia noſtra nulla ferè erant, ne in maioribus quidem vrbibus uedum in mediocri oppidulo, quare imparem ingenio ſuo præceptorem nactus, non eos quos potuiſſet progreſſus in ſtudijs fecit, attamen non ſolùm æquales ſuos ſed ipſius præceptoris ſpem & expectationem ſuperabat. Cum
1516. autem attigiſſet annum ętatis duodecimum, à patre Embricam miſſus eſt (hoc quidem exiſtimant eſſe Aſciburgium) oppidum ducatus Cliuenſis iuxta Rheni diuiſionem ſitum. Præceptoribus ibi vſus eſt M. Caſparo Glogouienſi, Petro Cochemenſi Moſellano, & M. Ioanne Aelio Monaſterienſi. Tradebant hi grãmaticam & prima ſtudiorum rudimenta non infœliciter pro illius temporis ratione, etenim vt ſæpè nobis commemorabat, illic audiuit Aldi Manutij Inſtitutionum grammaticarum libros, Ciceronis & Plinij ſelectas epiſtolas, itemque D. Hieronymi,

nymi, Virgiliana & Horatiana quædam, quibus adiungebantur Baptistę Mantuani poemata. Etenim qui tum scholis pręerant, amabant politiores literas, simul tamen non solum pio sed optimo prudentissimoq; consilio scripta, quę ad pietatem & mores formandos pertinebant, his coniungenda existimabant è quibus ornatus orationis petitur, ideoq; præstantissimis veterum Mantuanum coniunxere, cuius tum magnũ erat nomen & singularis doctrinæ existimatio. Sunt quidẽ non tantùm vetustiorum aliqui Latini sermonis puritate et carminis elegãtia, illi anteferendi, sed plures etiam qui ipsum secuti sunt, verùm pauca veterum tum publicè extabant præsertim in Germania, recentiorum verò scripta vel nondũ extabant, vel saltẽ ignota erant: quare eorum consilium improbari non potest, qui pro præsenti copia, ea delegerunt, quæ maximè videbantur linguæ simul & menti ad pietatẽ informandæ idonea. Exercebantur in ea schola pueri diligentissimè in Grammaticorum præceptis, tum scribendo tum etiam latinè loquendo: disciplina morũ seuera coniungebatur, religionis quoq; quæ tum recepta erat, magna cura & ratio habebatur, non vt verbis disceptarent, sed vt vita & factis se pietatis studiosos ostenderent. Etsi autem illo tempore vera pietas superstitione contaminata & penè obruta, circa ceremonias & ritus nescio quos præcipuè occupabatur, non tam hominùm quàm temporũ culpa, disciplina tamen seuera huic coniungebatur: nunc proh dolor, in tantis dissensionibus, vtrinque plurimi verbis de religione disceptant, disciplina cum veris pietatis exercitijs à maxima hominũ parte negligitur. Erat autem Bullingero hæc disciplinæ seueritas non ingrata, nam domi antea à parentibus ad pietatem adsuefactus, & natura bona & virtutum studiosa præditus, sponte ea præstabat, quæ alij metu plagarum inuiti faciebant. Adeò verò seuerioris disciplinę studiosus fuit, vt tum quamuis puer adhuc, constituerit se Carthusianorum instituto addicere, quorum vitæ genus inter omnia monastica maximè austerum creditur. Attamen nihil temerè sibi faciendum existimabat, præsertim inconsultis parentibus: idq; ut faceret & parentum consilia sequeretur, assiduum hortatorem habebat fratrem, ipso 8 annis natu maiorem, Ioannem nomine, qui tum in eadem schola literis operam dabat, & pri-

uatim eius ſtudia informabat. Hic poſtea presbyterij ordine vt vocant ſuſcepto, cum alibi in Heluetia, tùm præcipuè apud Vranios aliquot annis eccleſiam pagi cuiuſdam rexit, & cum illis more gentis noſtræ aliquoties in militiam abijt: erat enim natura & ingenio hilari, magnanimo atque paulò etiam audaciore, venationis & armorum quoque ſtudioſus: itaque cum Vranijs prælio ad Caranum interfuit, & illis victis ſpoliatus omnibus rebus, inops, & corpore vulneribus malè affecto domum redijt, atque ab eo tempore militiæ ſimul & papiſtico ſacerdotio valedicens, literis ſe denuò addixit, & miniſterio eccleſiæ multis annis cum laude præfuit, ac tandem Capellæ Tigurinorum anno 1570. mortuus eſt. Porrò Bullingerus noſter, vt ad hunc redeamus, Embricæ vixit triennium, quo tempore à patre veſtitum duntaxat & viaticum mediocre accepit, victum verò ſibi comparare coactus eſt oſtiatim canendo & mendicando: non quòd patri opes deeſſent ad alendum filium, aut quòd auaritia quadam ſumptibus parcere vellet: poſtea nanque illum liberaliter in Academia Colonienſi aluit: ſed quòd vellet eum reipſa experiri, quæ pauperum & mendicantium ſit miſeria, vt deinceps per omnem vitam cùm ad egenos iuuandos promptior, tum etiam in victu & veſtitu frugi & modeſtus eſſe conſueſceret. Non diſputo de parentis conſilio, quod forſan nimium durum fuit, ſed tamen priſca hæc ſeueritas & durities minus moribus & ſtudijs obfuit, quàm noſtri temporis nimia forſan lenitas & liberalitas in ſuppeditandis inutilibus quoque ſumptibus, qui dum abundè ſuppetunt ætati iuuenili, mores ſeculi huius petulantia & luxu corrumpuntur, & ſtudia plerunque negliguntur. Ex hac igitur parca & ſeuera cùm patris tum Embricenſis Scholæ diſci-
1519. plina Coloniam Agrippinam venit anno 1519. cuius Academiæ nomen tum celeberrimum erat, illic nomen dedit ſocietati quæ Burſa montis vocatur: prælegebantur tum magno ſtudio Logici libri, non illi quidem ſincerè & ad vſum accommodati, ſed barbari & ſpinoſis atque inutilibus diſceptationibus referti, Parua vt vocant Logicalia, Copulata Burſæ montis, Vetus & noua Logica, & præterea Ariſtotelea quædam, ſed

ipſa quo-

ipsa quoque sophistarum & barbariei luto fœdata atque contaminata: erant hæc studia ingrata Bullingero, qui candidus & natura à sophistica & rixosis disceptationibus, quibus tum scholæ personabant, alienus erat, sed tamen hanc molestiam summa patientia pertulit & superauit, sic vt omnium consensu primam quam vocant lauream in his studijs anno ætatis suæ XVI. acceperit. Interea diligentius hoc studiorum genus examinans, cum & vanitatem eius animaduerteret, & in socios egregiæ indolis & rectius institutos incidisset, neglecta hac Bursæ montis Logica se totum dedidit audiendis clarissimis viris Matthæo Phrissemio & Arnoldo Vesaliensi, & Ioanni Cæsario: hi auditoribus suis exponebant Georgica Virgilij, eiusdem Æneida, Odas Horatij, Aristotelem de syllogismo & de anima, Erasmi libros de Copia rerum & verborum, Rodolphi Agricolæ de inuentione libros III. Orationes Ciceronis, Epistolam Pauli ad Romanos, Isagogen in literas Græcas vnà cum Plutarchi Gryllo. Audiebat autem hos assiduè, & se exercebat scribendis epistolis, orationibus, dialogis, fictis narrationibus: adhæc & publicis domesticas lectiones bonorum authorum coniungebat, nam domi legebat Quintiliani institutiones oratorias, Gellium, Macrobium, Plinium, Solinum, Melam, Iustinum, & ex recentioribus varia Erasmi scripta. Eodem tempore Latinè scripsit duos dialogos aduersus 1520.
scholasticos Theologos: duos aduersus Pipericornum Iudæum pro Capnione, vnum item quem Promotores nuncupauit. Etenim renascentibus bonis literis, Theologi scholastici & præsertim Dominicanæ factionis, cum se palam opponere non auderent, Capnioni præcipuo harum patrono litem mouerunt de Hebræorum libris, quos ille contra Theologorum sententiam conseruandos censuerat, & ad hanc rem Pipericorno Iudæo baptizato emissario vtebantur: cæterùm eorum propositum erat, vnà cum Reuchlino bonarum literarum studia opprimere; & de his triumphare, quasi hæreseon causa sint. Capnionem scriptis defenderunt omnes ferè docti per Germaniam, acerrimè tamen omnium Vlricus Huttenus eques Francus, elegantis ingenij & doctrinæ homo, qui etiam carmine trium-

phum Capnionis scripsit : quidam vt monachis illuderent, barbarum & rude eorum dicendi genus imitati, Epistolas ediderunt Obscurorum virorum titulo inscriptas, quibus non tantum genus dicendi sed mores quoque theologorum falsè perstringuntur: hic liber cum primum Erasmo oblatus fuisset à Ioanne Iacobo Ammiano Tigurino, adeò eius lectione in risum profusus fuit, vt abscessum in facie enatum, quem medici secare iusserant, præ nimio risu ruperit. Aduersus hos igitur bonarum literarum hostes Bullingerus adhuc adolescens stylum strinxit, & prima quasi tyrocinia fecit in propugnandis bonis literis: verùm hæc eius scripta publicè non extant. Eodem tempore certamina de religione augebantur, ac simul cum bonis literis clarior lux sacræ doctrinæ mundo illucescebat, quare vt in his controuersijs à recto itinere non aberraret, quærit à quibusdam suis præceptoribus quem nam potissimum auctorem legere debeat, è quo summam doctrinæ ecclesiasticæ haurire possit, remittitur autem ab his ad Petrum Lombardum, cuius scripta aliquot seculis principem locum in scholis theologorum habuerunt. Paret igitur consilio, Lombardum diligenter euoluit, & huic adiungit decretum Gratiani, quoniam verò videbat ipsos tantum veterum auctoritate niti, & eorum testimonia congerere, statuit non alienis tantùm oculis videre sed per se scripta Patrum inspicere & expendere. Habebant autem tum Coloniæ monachi Prædicatorij ordinis satis instructam bibliothecam, in quam illi aditus patebat per Georgium Dienerum eius factionis monachum, quem postea Prouincialem ordinis factũ fuisse quidam nobis cõmemorarunt: erat autem hic natus Eligouij in pago Tigurino, ideoque Bullingerum propter communem patriam familiariter amplectebatur. Huius igitur opera aditum in bibliothecam nactus, primùm in Chrysostomi homilias in Matthæum incidit, quas auidè legens videbat longè aliter veteres tractare res sacras quàm Lombardus aut Gratianus. Ibidẽ etiã Ambrosij, Origenis, & Augustini quędam euoluit: pręterea Lutheri libros de captiuitate Babylonica, de Libertate Christiana, Assertionẽ articulorũ, de Bonis operibus, domi clã studiosè perlegebat. Nondũ tamen ex grauissimis controuersijs se explicare & inueteratos errores atq; abusus euidẽter cernere poterat,

hoc

hoc tantùm deprehendebat, Lutherum propius ad veterum theologiã quàm Scholasticos accedere: obseruabat item Scholasticos sua Patrum testimonijs probare, ipsos autem Patres tantùm scripturarum auctoritate niti, itaque constituit scripturas & præsertim nouum testamentum diligenter perlegere, quod cum fecisset adhibitis etiam Hieronymi & aliorũ veterum commentarijs, paulatim cœpit à Papistica doctrina abhorrere, & propositum de Carthusianorum vita amplectenda prorsus abiecit. Edidit eo tempore Philip. Melanchton opusculum locorum communium, in quem librum cum incidisset, se mirabiliter eo delectatum scribit. Etsi enim prima huius operis editio non ita copiosa & locuples fuit vt postremæ, tamen etiã in breui opusculo maximæ & grauissimæ cõtrouersiæ grauiter & perspicuè, absque omni sophistica, ex sacris literis explicantur: & vt fames optimum condimentum est, ita propter diuturnam famem cœlestis alimoniæ, omnia quæ ex verbo Dei depromebantur, auidè excipiebantur & legebantur: nunc etiam optima, & doctissima Philippi scripta, ab ipso postea summo studio perpolita & ornata, multi non tantùm fastidiunt, sed venenatis conuicijs & calumnijs arrodunt: quos propria improbitas perdet. Atque hic quidem studiorum eius cursus fuit, anno 1521. & 1522. quo 1522.
anno titulum & gradum, vt vocant Magistri accepit, cum nondum 18. annum ætatis suæ absoluisset: sed eo nunquam vsus est cum ad maturiorem ætatem peruenisset, ac se dicebat in illo suscipiendo, pro eius ætatis & scholæ consuetudine vnà cum alijs insanijsse. Nõ quidem improbabat præmia & honores quæ his meritò tribuuntur, qui magnos in studijs progressus fecerunt, sed titulos inanes & precio emptos ridebat, & reprehendebat veterum morem, vbi Romanæ ecclesiæ omnes in his gradibus accipiendis iuramẽto obstringebantur. Posthæc domum reuersus, totum illum annum in paternis ædibus priuatis studijs & exercitationibus absumpsit. Sub initiũ verò anni 1523. 1523.
Capellam, quod est cœnobium agri Tigurini Cisterciensis familiæ, à Vuolfgango Ionero abbate euocatus & ludo literario præfectus est. Religio illi manebat integra, neque quicquam negotij habebat cum votis monasticis, monachatu, cuculla, cantu, choro, alijsq; superstitionibus papisticis: hoc solum illi manda-

batur, vt monachos & aliquot bonæ indolis adolescentes in bonis literis tam sacris, quàm prophanis erudiret. Abbas enim & quidam è monachis inceperant Zuinglio docente oculos aperire, & errores aliquos Pontificię religionis agnoscere: nondum tamen vsquã publica reformatio ecclesiæ inchoata fuerat: propterea quod Zuinglius in eo primùm & potissimùm laborabat, vt populus religionem veram & puram ex sacris literis addisceret, & veteres errores clarè agnosceret, ita nanque futurum videbat, vt omnis illa externa superstitionum & ceremoniarum pompa sponte corrueret, & ideo ipse strenuè scribendo docẽdo pergebat, & ministros ecclesiarum erudiebat, & ad sanam doctrinam proponendam excitabat, publica etiam disputatione initio huius anni doctrinam suam iubente magistratu defendit. Eodem consilio abbas Cappellanus cùm ipse & quidam alij è monachis prædicabant, tum operam dabat vt scholam, qui antiquissimus cœnobiorum vsus fuit, institueret. Et quoniam Bullingeri, quamuis adhuc adolescentis, doctrina & modestia à multis cõmendabatur, hunc potissimum scholæ suæ præfecit. Hoc anno primùm Zuinglium docentem audiuit, cuius libellos & præsertim opus articulorum prius legerat, ab eo autem plurimùm in agnita veritate confirmatus fuit. Scholastico autem munere suscepto mane docebat sacras literas, ac auditoribus suis interpretatus est Paraclesim & Compendium theologiæ Erasmi, locos communes Philippi, & fermè omnes noui fœderis libros: interpretabatur autem hæc omnia vernacula lingua, non tantùm propter monachos, quorũ aliqui exiguum Latinę linguæ vsum habebant, contenti hactenus recitatione latina precum etiam non intellectarum, sed propter familiam abbatis & vicinos quorum multi nonnunquam lectionibus his intererant. Pomeridiano tempore quatuor horis quotidie docebat præcepta Grammatica Dialectica & Rhetorica, & Virgilij ac Ciceronis quædam, multa etiam Erasmi, cuius scriptis plurimũ delectabatur. Vixit Capellæ annos VI. quo tempore omni non tantum docendo, verùm etiam discendo & scribendo se assiduè
1527. exercuit. Anno enim CIↃ IↃ XXVII. Tigurum missus ab Abbate cœnobij, per menses quinque illic Zuinglium concionantem & in schola docentem attentissimè audiuit, deinde
Hebreæ

Hebrææ linguæ tum primùm operã dare cœpit Conrado Pellicano præceptore. Græce etiã linguæ cognitionem, cuius fundamenta Coloniæ iecerat, auxit, audiens quotidie Ioannẽ Rhellicanum, Ioannẽ Iacobum Ammianũ atq; Rodolphum Collinum, qui hodie vegeta senecta lectionẽ Græcam cum laude sustinet. Domi verò plurima Latinè & vernacula lingua scripsit: è quibus sequentes libelli in publicum editi sunt, De Hæresibus liber Octauij Florentis nomine ab ipso inscriptus, quòd ad imitationem Septimij Florentis Tertulliani conscriptus esset. Item de Iustitia contra iudiciorum corruptionem. Prosopopœia Dei expostulantis cum Heluetijs, & hortantis ad pœnitentiã. Atque hi quidem Germanicè vulgati sunt Latinè autem scripsit libros duos de Origine erroris. Priori agitur de Dei veri inuocatione iusta & cultu vero, de Deorũ item falsorũ religionibus, & simulachrorũ cultu: posteriore autẽ libro de institutione sacræ cœnæ Dominicæ, & de origine & progressu missæ Papisticæ, contra varias superstitiones pro religione vera & antiqua. Excusi sunt hi libri primũ Basileæ suasu D. Oecolam. deinde bis ab auctore recogniti fuerũt, & extrema manus illis imposita est anno 1568. Præterea plurima scripsit quæ partim perierũt, partim à liberis eius seruãtur, integram horũ enumerationẽ apponam, indicẽ & testẽ diligentiæ ipsius. Latina igitur hæc sunt. Narratio quomodo auulsus à traditionib. humanis, solis scripturis hærere & credere cœperit. De Ratione studiorum cùm sacrarum literarum tum prophanarũ ad Vuernerum Steinerum. De prophetia libri duo. In duos locos cõmunes Phil. Melancht. de Libero arbitrio, & de Peccato cõmentarij. De Diuina prouidentia contra impium carnis iudiciũ liber. In Euangelium Matth. comment. libri 8 In Euan. Ioan. comment. lib. 7. In historiam passionis Domini ex 4 Euangelistis compositam comment. In Euang. Lucæ comment. lib. 8. In Acta Apost. annotationes. In epist. ad Titum annotationes In epist. Iacobi, Ioannis, Petri annotation. Epist. ad accusationẽ Christophori Stiltzij Ferimontani, in qua agitur, De modestia Christiana, De cõuitijs, De fide iustificãte, De cõiugio sacerdotũ, De libero arbitrio, & de Eucharist. Ætiologia cur Missa non sit sacrificiũ. De institutione & genuino vsu Eucharistiæ ad Vuernerum Steinerũ & Bartolomæum Stokerũ.

Declamationes de euchariſtia quinque. Oratio de cruce & patientia. Alia de charitate & pace. Alia de contemnendo mundo. Alia de nomine Ieſu. Inuectiua contra libidinem. Silua omnium euangeliorum dominicalium. Ratio ſcribendi. Methodus perueniendi ad philoſophiam ſermocinalem. Scholia in vtrunque librum de copia Eraſmi. De fructu & vſu copiæ epiſtola. Scholia in prouerbium Dulce, bellum inexpertis. Vita & encomium Ciceronis. Commentariolus in orationem Ciceronis pro lege Manilia. Symbolum ſuauis & probæ matrisfamiliâs. Germanicè verò ſcripta ſunt quæ ſequuntur. De vniuerſa ratione ſcripturę ſanctæ ad Iacobum à Madijs Bernenſem. Parænetica ad vitam Chriſtianam. Parænetica vt fidelem paſtorem agat Matthias Sengenſis. De vno ſolo vero viuo & æterno Deo, deq; multis factitijs & falſis dijs liber. In Epiſtolam Pauli ad Romanos commentariorum libri 10. In Epiſtolam ad Galatas comment. lib.3. & paraphraſis. In Epiſtolam ad Ephesios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, in ſingulas comment. lib.2. & paraphraſis. In vtranque ad Theſſalonicenſes lib.3. & paraphraſis. In vtranque ad Timotheum lib.5. & paraphraſis. In Epiſtolas ad Titum & Philemonem lib.2. & paraphraſis. In Epiſtolam ad Hebræos lib. 5 & paraphraſis. De baptiſmo, & paruulorũ baptiſmo ad Henricum Simlerum. De veteri & nouo ritu euchariſtiæ. Apologia ad librum R. Vuingarteri Tugini ſuper Euchariſtiæ negotio. De moribus & inſtitutione probæ puellæ ad Annam Adliſchuileram. Inſtitutio Chriſtiani matrimonij. Paracleſis ad Euangelicam religionem ſcripta Coſſ. Bremgartinis Muttſchlio & Schodelero. Super Lucæ 24. caput copioſa commentatio de reſurrectione mortuorum. Brutus ſiue Lucretia Germanicis rhytmis ſcripta tragœdia, quæ poſtea anno Domini 1533. Baſileæ publice à ciuibus acta eſt, & impreſſa abſque auctoris nomine. Commentarij varij in Pſalmos 1. 2. 4. 5. 8. 14. 18. 22. 44. 45. 116. 127. 138. Commentarius in ſymbolum Nicenum ad Verenam Huſeram. Declaratio XXIIII. articulorum Ioannis Huſs ad Annam Kolinam. Dialogi duo de Euchariſtia ad Vuernerum Brandenbergium. Loci communes rerum ſacrarum ad Tuginos. De noua & veteri fide contra lapſos. De pœnitentia confeſsione

& ſatis-

satisfactione liber. De vera & falsa amicitia libellus. De sancta cruce expositio. De contemnenda morte. Contra inuidiam pro concordia. Accusatio amoris Cupidinei. Defensio eiusdem. Consolatoria super morte filij, siue Epitaphium Ioan. Rufsingeri ad Marcum Patrem. Accusatio homicidæ, & consolatio eiusdem. De scandalo. De peccatorum remissione in Ezech. cap.18. De libertate Christiana. Acta Tigurinæ disputationis de Catabaptismo & puerorum baptismo. Quòd Christianus iusiurandum & præstare & exigere posit. Axiomata CXXIIII. aduersus Fridolinum Lindouerum.

Atque horum quidem quæ iam à nobis commemorata sunt, pauca in eius bibliotheca reperiuntur, nam sicut in amicorum gratiam pleraque scripsit, ita eadem illis largitus est, nullo sibi exemplari reseruato, quòd non esset otium denuò illa rescriben di, & quòd sumptus magnos facere in notarios neq; vellet neq; posset. Quæ tamen ex his maioris operæ fuerunt commentaria in omnes noui fœderis libros, postea de integro exactiori studio ab ipso Tiguri Latinè conscripta & in publicum edita sunt: & pleraque alia copiosius & accuratius explicata, ex quibus iudicium de ipsius doctrina & diligentia fieri potest: hæc tantùm à me vt industriæ eius testimonia commemorata sunt. Erat illo tempore non tanta bonorũ librorum veterum & recentiorum copia quantam hodie habemus, quare maioris operæ fuit tot libros, & commentarios scripturæ sacræ conscribere quàm hodie sit, vbi quidam iuniorũ ipsius Bullingeri aliorumq; labores ad verbum penè describunt & pro suis euulgant: & præsertim in his regionibus, in quibus propter tyrannica theologorum edicta, nostrorum scripta locum nullum habent. Equidem malè studijs ominari nolo, sed tamen quotiescunque patrum nostrorum ætatem cum præsenti seculo, & principum & magistratuũ amorem erga literas, hominum literatorum assiduitatem & diligentiam in omni studiorum genere, eorum mutuum amorem & concordiam in excolendis bonis literis, confero cum contemptu & fastidio literarum quo nunc plerique laborant, cum studiosorum inertia ne dicam, an negligentia, aliorum verò fastu & arrogantia: cum animum ad disceptationes nostri seculi conuerto, vbi de rebus grauissimis vulgo ita disputatur, non

rationibus ſed conuitijs, non argumentis ſed calumnijs, non modeſtia, ſed petulanti furore, vt non veritatem ſed victoriam quærere plerique videantur, hæc inquam videns longè diuerſa ab eorum moribus qui religionem & bonas literas patrum & auorum memoria coluerunt & promouerunt, non poſſum non metuere, ne rurſus vaſtitas eccleſijs & barbaries bonis literis immineat. Sed omiſsis his querelis in inſtituta narratione pergamus. Capellæ ergo cum viueret Bullingerus, amicos habuit Vuolfgangum Ionerum eius cœnobij abbatem, & Petrum Simlerum, cum quo & tum coniunctiſsimè vixit, & amicitiam ad obitum eius fideliter coluit, arctiore vinculo conſtrictam, filia ſua elocata Ioſiæ Simlero Petri F. à quo hæc deſcripta ſunt. Ijſdem annis cum doctiſsimis viris Heluetiæ noſtræ amicitiam contraxit, & in eorum familiaritatem peruenit, cum Huldrico Zuinglio, Ioanne Oecolampadio, Ioachimo Vadiano, Leone Iudæ, Bertholdo Hallero, Ambroſio Blaurero, & multis alijs viris doctis, in quorum notitiam peruenit partim Capellæ & Tiguri, partim Bernæ in publica diſputatione: atque hos omnes maiores natu ſe coluit & amauit tanta obſeruantia, vt omnibus chariſsimus, & quamuis iuuenis, grauiſsimarum rerum conſilijs & actionibus fuerit adhibitus.

1524. Mutata eſt illo tempore, anno CIↃ IↃ XXIIII. Tiguri forma religionis, nam, vt ſupra indicauimus, Zuinglius iam annis quinque diligenter populum in vera Chriſti agnitione erudierat, & errores atque abuſus iam inueteratos detexerat, præterea ſuam doctrinam publicis diſputationibus aſſeruerat & defenderat, quare viſum eſt magiſtratui tempus eſſe vt pro ſuo officio ea tolleret quæ iam didicerat aduerſari verbo Dei. Primò autem omnium mandatum eſt ſacerdotibus & monachis ne poſthac vllas publicas proceſsiones inſtituant, & præſertim ne conſecratum panem in pompa per vrbem & agros circumferant, aut in templis adorandum proponant, hæc enim dicebant apertè cum inſtitutione Chriſti pugnare, qui vitam æternam promiſerit his qui carnem ſuam edant & ſanguinem bibant, loquens de paſsione & morte ſua, quæ eſt vnicum ſolatium & ſecuritas animæ noſtræ: itemque dixerit,

xerit, Accipite, edite, & bibite ex hoc omnes, non autem contemplamini tantùm & aſpicitè: quare cum omnis hæc pompa ſit tantùm theatricum ſpectaculum, non autem commemoratio mortis Chriſti, prorſus tollendam, & huius loco populo illis diebus verbum Dei annuntiandum eſſe. Præterea delecti è ſenatu vnà cum miniſtris, è præcipuis templis vrbis tumbas in quibus dicebantur corpora martyrum ſepulta oſſa ſuſtulerunt, & his apertis, in quibuſdam nulla prorſus oſſa ſed neſcio quas quisquilias repererunt, in alijs aliqua eſſe inuenta ſunt, quæ clam terræ mandari reuerenter curarunt, neque vt Faber & quidam alij falſo ſcripſere, ea in flumen abiecere, aut contumelia aliqua affecerunt. Sacerdotibus quoque mandatum eſt, ne organis ludant in templis, ne pulſu campanarum funera plangere, aut tempeſtates arcere conentur, ne palmarum ramos, ſal, aquam, cereos conſecrent: ne morituros oleo inungant, quem nouiſſimum baptiſmum vocant, eſſe enim hæc omnia ſuperſtitioſa & pugnare cum expreſſo Dei verbo. Interea adhuc & Miſſæ celebrabantur, & idola in templis publicè ad cultum proſtabant, & quamuis duabus publicis diſputationibus Zuinglius hæc impugnans viciſſet, magiſtratus tamen cautè admodùm in his tollendis, quæ tanto conſenſu omnium probabantur, agendum exiſtimabat. Dehortabantur Heluetij omnes noſtros ne quicquam in negotio religionis immutarent, ab alijs occinebatur nomen Concilij, temerarium eſſe ſi pauci homines conſuetudinem tot ſeculorum immutare conentur: eſto enim ſint aliqui abuſus, non tamen eſſe paucorum hominum de his ſtatuere, ſed iudicium vniuerſalis ſynodi expectandum eſſe: noſtri his è contra verbi diuini auctoritatem opponebant, quod nullius hominis & ne vniuerſalis quidem concilij iudicio & auctoritati ſubiectum ſit: adhæc iam annis octoginta Pontifices concilij expectatione ludificaſſe homines, neque quicquam interea emendaſſe, itaque niſi verbo Dei aliter edocti fuerint, conſtituunt in cœpta reformatione progredi. Primùm igitur in vrbe paſtores eccleſiarum & cum his ſinguli ſenatores ex vniuerſis tribubus aſſumptis ſecum fabris & alijs opificibus, templa ingreſsi & his clauſis

omnia idola amouerunt , atque templa ab his expurgarunt. Deinde per vniuersum agrum Tigurinum, singulæ ecclesiæ præsente loci præfecto interrogatæ suam sententiam, omnes ferè agnouere idolorum superstitionem, & magistratuũ exemplo illa communi consensu sustulerunt: pauci nondum satis edocti aut peruicaciores ea retinuere, neque his vis illata est, sed ipsi postea auditis concionibus & re melius cognita, sponte vt & alij omnia hæc abiecere: ac nihil seditiose à quoquam factum, nullus vsquam neque in vrbe neque in agro imaginum causa tumultus exortus est, quemadmodũ quidam nostris obijciunt nosq; Iconomachos vocant, & Iconoclastas, ipsi interea Iconolatræ & idololatræ. Imaginum adoratio in sacris literis damnatur, neq; vllus eorum in sacris vsus vnquam fuit in populo Dei & veteri ecclesia, plurima autem exempla habemus sanctissimorum regum, qui imagines contra Dei verbum factas sustulerunt & confregerunt. Nemo ignorat quanta superstitione olim homines diuorum imagines coluerint, & nunc quoq; plerique colant, quare laudandum est pij magistratus factum, qui publicas has offensiones è medio sustulit, vt homines ab idolis ad verum Deum conuertat, vt omnes per Christum vnicum mediatorem Deum inuocent, & ab eo solo & auxilium petant: & præterea inutiles sumptus & expensæ in idola hactenus factæ, in vsum pauperum, qui sunt viuæ imagines Dei, conuertantur. Atque hæc quidem facta sunt anno CIↃ IↃ XXIIII. Sublatis autem idolis, Missa adhuc restabat, cuius auctoritas quotidie vilescebat, neque enim quisquam amplius ad missas cogebatur, & pleriq; ex concionibus & disputationibus Zuinglij didicerant, falso tribui Missæ quòd sit expiatorium sacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum: & quia Missa sacrosancta ab omnibus habita fuerat, noluit eam tolli, nisi prius plebe bene edocta de institutione & vero vsu cœnæ Dominicæ, quæ in locum Missæ substituenda erat. Videbat enim doctrinam μετουσίας, aut συνουσίας non multum à priore differentem, omnium abusuum & superstitionum Missaticarum fontem atque originem esse, itaque de vera ratione sacramenti huius populum paulatim erudire cœpit, ac postea sententiam suam publico scripto in libro, De vera & falsa religione exposuit:

atque

atque ita demum XXV. anno post millesimum & quingentesimum Missa abolita fuit, & in eius locum sacra actio cœnæ domini iuxta Christi institutum substituta. Contulit prius Zuinglius suam sententiam cum viris doctis compluribus: atq; cum superiori anno mense Septembri Bullingerus illum accessisset, exposuit ei suam sententiam, & petijt etiam quid ipse sentiret de sacramento corporis & sanguinis Christi, ille bona fide exposuit suam sententiam, quam ex fratrum Vualdensium & D. Augustini libris didicerat, & tum etiam totus in eo erat, vt Patrum iudicium de hac re cognosceret. Ac tum quidem Zuinglius iudicium eius probauit, monuit tamen ne cui id mysterij explicaret, nondum enim tempus idoneum esse vt publicè proponatur: ita nanque papistica opinione carnalis & corporalis præsentiæ mundus fascinatus erat, vt nefas putaretur de hac re cogitare aut dubitare, ac multorum conscientiæ grauissimè hoc dogmate excruciatæ sunt, quòd id credere non possent, & tamen metuebant iram Dei & damnationem si de eo dubitarent. Ac memini Pellicanum dicere se antequam Zuinglius & Lutherus docere cœpissent, legisse & obseruasse perspicuā huius quæstionis explicationem, quòd sacramenta sint signa quę accipiant nomen rerum signatarum, atq; ita panem esse & nominari corpus Christi, nempe in sacramento: colloquutum etiam esse de eo cum Cl. viro D. Vuolfgango Capitone, sed tamen ita falso titulo auctoritatis ecclesiæ obcæcatum & communi errore fascinatum fuisse, vt non auderet tum temporis de his rebus cogitare, aut simpliciter Augustinum sequi, cui alias tribuebat plurimum. Cum verò hos conscientiarum æstus nosset Zuinglius, vt & consuleret afflictis, & ecclesiam non offenderet, paulatim de his rebus ex verbo domini suos erudire cœpit, & Bullingero omnibusq; alijs eiusdem moderationis suasor & auctor fuit. Quòd autem hæc doctrina tot controuersias postea peperit, eorum culpa factum, qui maluerunt hanc causam coram vulgo tribunitijs concionibus exagitare, quàm amicè & moderatè veritatem rei inquirere, & scripturarum rationes ac patrum testimonia seposito omni affectu diligenter examinare & inter se ponderare. Cæterùm vt Zuinglius Tiguri in magna populi frequentia, ita Bullingerus Capellæ suis quoque auditoribus do-

ctrinam de sacramento exponebat, & eandem etiam scripto complexus est, quod Steinero & Stokero Tuginis misit. Secuta etiam illic abrogatio Missæ, & sequente anno 1526. cœna domini in templo ritè iuxta Christi institutionem ab Abbate & monachis omniq; ecclesia celebratur: ac tum sublatus fuit cantus ille monachorum superstitiosus, & à plerisque non intellectus: monachi præterea ætatis integræ, sed ad ministerium ecclesiæ inepti, opificia & manuarias artes didicêre. Fuere autem tempora illa admodùm turbulenta, id quod reformationem cœnobij retardasse crediderim: tumultuatum enim est à
1525. rustica plebe anno CIↃ IↃ XXV. per vniuersam ferè Germaniam, neq; ager Tigurinus horum tumultuum expers fuit: ac rustici cœnobio Capellano vicini iam consilia inter se inierant de illo occupando, sed ea res authoritate Senatus Tigurini oppressa & composita est. Præterea nuper conflagrarat Carthusianorum domus Ittinga nomine ad Turum fluuium, & quoniam nostri homines tum eius incendij authores vulgò ferebantur, pontificiæ religionis propugnatores, se incenso Capellæ cœnobio par pari relaturos minabantur: ideoque qui illic erant, in grauissimo discrimine versabantur & diu noctuq; vigilias agere cogebantur. Et quia Bullingerus nouæ religionis, vt illi vocabant sacram euangelicam doctrinam, præcipuus eo loco doctor et ardens propugnator erat, eò maiori odio omnes ipsum petebant cum publicè tùm priuatim. Sed Deus non tantùm in his periculis ipsum conseruauit, verùm animum & vires addidit, vt scribendo & docendo quotidie plus proficeret, neq; absque fructu: & qui hactenus tantùm in cœnobio monachos & familiam docuerat, publicè in templis cœnobio proximis strenuè concionari cœpit, idque totius Synodi iussu & approbatione.
1528. Anno 1528. Bernam etiam cum Zuinglio iussu magistratus profectus, celeberrimæ disputationi quæ sub illius initium anni habita est interfuit: quo tempore in multorum doctorum virorum amicitiam receptus est, vt scripsimus.

1529. Proximo deinde anno Bremogartum vocatus est. Cœperat antea pater ipsius in ea vrbe publicè damnare papisticos errores, sed quidam potentiores è ciuibus id non ferentes, eum vrbe eiecerunt: itaque Tigurum profectus negocium senatui exponit,


ponit, neque vllis impenſis aut operæ parcit, vt euangelij do-ctrinam promoueat, ac tandam effectum eſt vt ciues oppidi Geruaſium Scholaſticum virum pium & doctum deligerent in paſtorem. Quoniam verò Bullingeri nomen iam celebre apud noſtros erat, ideò multi ciuium ipſum quoque audire deſiderabant, vocatus igitur ab illis vt in patria ſemel atque iterum concionaretur, conſilio fratrum illuc abijt, & XVI. Maij, quæ erat dies Pentecoſtes, patriæ ſuæ Chriſtum prædicare cœpit: tantumque effecit vt iuſſu magiſtratus poſtridiè aræ & idola è templis ſublata fuerint, & edicta promulgata ſint de emendandis moribus contra blaſphemos, adulteros, ebrios. Petebat etiam ab ipſo Senatus oppidi vt maneret & docere pergeret. Quibus ille reſpondit, ſe ampliſsimo Senatui Tigurinæ vrbis atque etiam R. domino abbati cœnobij obſtrictum eſſe, ſine quorum voluntate & conſenſu nihil agere poſsit: Miſſus eſt ergo legatus Capellam, & inde Petro Simlero comitante Tigurum venit, negotium poſtulationemque ciuium Conſulibus & tribunis propoſuit, qui Bullingerum iuſſere in patria permanere. Mox igitur vnanimi ciuium conſenſu ſacris concionibus præfectus eſt, & vnà cum collega Geruaſio triennium ferè in hac ſtatione permanſit, vt Dominicis diebus à meridie & tribus proximis diebus manè concionaretur: & præterea ſingulis diebus ea hora qua ante veſpertinæ preces decantabantur, noui teſtamenti lectionem ad veritatem Græcam tractabat. Eodem anno quo in patriam redijt, vxorem duxit Annam Adliſchuileram honeſto loco Tiguri natam: fœminam piam, veræ religionis ſtudioſam, modeſtam, mariti & liberorum amantem, ex qua illi nati ſunt filij VI. filiæ vna minus: ſed ex filijs tres minimi pueri adhuc & infantes mortem obierunt: quartus Chriſtophorus nomine in aula illuſtriſsimi principis Heſſorum vixit, & caſtra principis Auranij ſecutus, in Gallia obijt anno 1569. duo maximi natu Henricus & Ioannes Rodolphus miniſterio eccleſiæ funguntur: è filiabus maximam natu Annam Huldrico Zuinglio, alteram Margaretam Ludouico Lauathero, tertiam Elizabetham Ioſiæ Simlero miniſtris eccleſiæ noſtræ elocauit, verũ Margareta anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, aliꝫ duꝫ proximo anno peſte apud nos

grassante magno patris & maritorum dolore ex hac vita migrarunt: è duabus superstitibus maior natu Veritas Henrico Trübio honesto ciui, & qui diu nomine senatus publicam eleemosynam, & postea Xenodochij reditus administrauit, nupsit: minima Dorothea patri fidelissimè ad obitum vsque inseruijt, & rem eius domesticã sedulò ab obitu matris administrauit. Vxor ipsa coniunctissimè cum marito absque vlla offensione annis XXXV. vixit, fida custos familiæ, & quæ mariti curas & labores quos maximos sustinebat, morum suauitate quantum poterat leuabat. Excessit hæc è vita incredibili dolore mariti anno 1564. peste correpta, cum idem morbus maritum prius inuasisset, pro quo ipsa solicita tantùm de eius salute cogitabat & loquebatur, ipsumq; Deo commendans inter pias preces astantibus liberis, generis, & cognatis animam efflauit: post huius obitum, quamuis annos ferè XI. superstes fuerit, nunquam tamen adduci potuit, vt aliam vxorem duceret. Non quòd secundas nuptias Christiano homini atque etiam ecclesiæ ministris non concessas esse crederet, sed primam vxorem in animo suo adhuc viuere dicebat, quæ tot sui charissima pignora reliquisset, & quia filiam haberet quæ familiam optimè administraret, se hac ętate (erat autem sexagenarius) nolle de nuptijs & cõiugio solicitum esse. Equidem non desunt qui hoc eius factum & consilium damnant, hoc maximè nomine, quòd eum melius consulturum fuisse suæ valetudini existimant, si alteram vxorem duxisset: homines ridiculi, quasi in coniugio viuentes non æquè nephriticis & dysuriæ doloribus obnoxij sint atque cœlibes. An verò existimant eum nullam suæ valetudinis rationem habuisse, & tantæ ætatis atq; prudentiæ hominem ignorasse quidnam suæ naturæ conueniens sit: atq; vt maximè vera sit eorum ratio, eas tamen ille fortè habuit consilij sui rationes vulgo incognitas, vt etiam cum damno valetudinis id sibi persequendum statuerit. Sed his missis ad actiones eius Bremogartinas redeamus, accidit hic illi idem ferè quod Zuinglio Tiguri, cum enim Euangelij negotiũ feliciter procederet. Anabaptistę, quod ante Tiguri fecerant, ecclesiam nascentem turbare cœperunt. Cum his igitur publica disputatione congressus coram vniuersa ecclesia, eorum conatus maxima ex parte infregit, & paulò

pòst

pôst eodem anno 1531. quatuor libros vernacula lingua contra Anabaptistas edidit , ac præterea librum de Censibus & Decimis: de his enim tum præcipuè contendebant, quęrentes Euangelij titulo & nomine nouas tabulas, & immunitatem ab omnibus publicis & priuatis oneribus. Eosdem libros Leo Iudæ in Latinam linguam vertit, & ex Elencho Zuinglij multa intertexuit, postea verò auctor totum opus ad incudem reuocauit anno 1560, cum multis in locis & præsertim in Germania inferiore Anabaptistarum numerus augeretur, ac sex libros Germanicè aduersus Anabaptistas edidit, quibus Anabaptismi originem & progressum, & varias sectas eorumque præcipua dogmata & argumenta exponit atque confutat. Scripsit etiam Bremogarti explanationem hebdomadum Danielis, anno 1530. in publicum editam, quam tamen postea recognouit in Commentarijs in Danielem. Confecit etiam alios libros non editos in publicum, Chronicon rerum ab Heluetijs gestarum. Decades tres in Psalmos XXX. quos ex Hebræo Latinè & Germanicè verterat. Commentarios in IIII. Euangelistas. Interea temporis grauissimi motus in Heluetia exorti sunt, ac anno CIƆ IƆ XXIX. Bernates exercitum Bremogartum miserunt, ipsi quoque illis socia arma iunxerunt: sed tum absque sanguine ciuilis ille motus sopitus fuit: sed mox rursus nouæ belli causæ oblatæ sunt, quod vt tolli posset, cum alibi tùm etiam Bremogarti comitia Heluetiorum habita, ac tum sæpe legati Heluetiorum concionibus illius interfuere, non tantùm hi qui nostræ religionis studiosi essent, sed nonnunquam etiam aduersæ partis, cupiditate quadam cognoscendi quid nostri & quomodo docerent eo adducti, etsi verò diuersæ auditorum erant de religione sententiæ, in eo tamen consentiebant omnes quòd pacis eximiũ quendam amorem & studium in illo probabant. Publicè enim omnes frequenter adhortabatur, ne mutuis sese lacerarent vulneribus, sed dissidium in religione publica disputatione dirimerent, concionatores inter se committerent, vt verbo Dei & gladio spiritus inter se pugnarent. Idem agebat Zuinglius, & seipsum disputationi offerebat, sed hunc adeò oderant, vt conciones eius nemo aduersæ partis audiret: & quæ rectè & moderatè ab ipso dicebantur, nonnunquam alij errore, quidam malitia,

1530.



perperam explicabant, & longè aliter quàm ab ipso dicta fuissent, ad alios deferebant. Et quamuis probarent omnes Bullingeri modestiam & pacis studium, pleriq; tamen nihil minus volebant quàm ex scripturis publica & libera disputatione hanc
1531. controuersiam dijudicari. Ventum est igitur tandem ad arma, & vincentibus his qui Romanam religionem sequuntur, Bullingerus vnà cum patre & fratre atque Geruasio collega suo è patria discedere iussus est, quòd illis hostes necem minarentur, & ciuibus de libertate & vita periclitandum foret, si eos tueri & retinere vellent. Noctu igitur iter ingressus, & Dei beneficio euitatis hostium insidijs, manus eorum qui ipsum persequebantur effugit, & Tigurum cum his quos modò nominauimus venit, anno CIↃ IↃ XXXI. die XI. Calen. Decemb. ac triduo post in summo templo petente id Leone Iuda & alijs ministris concionatus est. Hospitio ipsum excepit cum suis Vuernherus Steinerus vetus ipsius amicus, qui religionis causa fortunas suas Tugio Tigurum transtulerat. Vacabat eo tempore Basiliensis ecclesia pastore, paucis enim diebus post Zuinglij cædem, Ioannes Oecolampadius eorum pastor & pijssimus atque doctissimus Theologus, graui morbo oppressus ad Dominum migrarat, quia verò illis Bullingeri nomen notum erat, & eum legati ipsorum Bremogarti concionantem audiuerant, placuit senatui ipsum in demortui Oecolampadij locum substituere, itaq; misso nuncio eum ad se vocabant, Bernates quoque missis ad ipsum literis petebant vt Bernam veniret, sed mandante senatu Tigurino ne aliò migraret, Tiguri mansit, ac nona Decembris à collegio ecclesiastico & senatu vrbis in locum Clar. viri Huldrici Zuinglij creatus est pastor Tigurinæ ecclesiæ, idque ex Zuinglij voluntate, qui in castra profecturus Bullinge-
1532. rum, si quid aduersi sibi accideret, successorem nominauit. Ad tantum munus tempore difficillimo vocatus omnem operam impendit, vt ecclesiam afflictam & grauiter concussam erigeret & confirmaret, nam vt fieri solet in rebus aduersis multi erant qui nostris insultarent: editi sunt etiam libelli aliquot contumeliosissimè scripti, quibus multa mendacia de nostris spargebantur: inter alios Ioannes Faber, vetus Zuinglij antagonista, libro edito cladem nostrorum exaggerabat, ac nostros propter falsam

ipsorum

ipſorum doctrinam victos gloriabatur, huic publico quoq; ſcripto Bullingerus reſpondit, & eius mendacia arguit, deinde oſtendit de religione non eſſe iudicium ferendum ex proſpero aut aduerſo rerum ſucceſſu. Zuinglium quoq; multi immeritò traducebant, itaq; eodem anno orationem quam in cœtu miniſtrorum recitarat, De officio prophetæ, in publicum edidit, in qua Zuinglium dignis laudibus euehit. Quotidianis etiam concionibus populum conſolabatur, & in fide confirmabat, & ad perſeuerantiam excitabat, & modeſtè confutabat acerbas obiectiones & calumnias quę à maleuolis hominibus in vulgus diſſeminabantur. Erant illa tempora propter ſuperioris anni cladem admodùm difficilia & exulcerata, neq; ceſſabant pontificij vicinos minis & promiſsis ad veterem Rom. ſedis obedientiam reuocare, ac aliquot locis imagines & miſſæ reſtitutæ ſunt, Salodori quoq; euangelicus concionator vrbe pulſus eſt: non paucis in locis Anabaptiſtæ eccleſias turbabant: his etſi mederi cuperet, neq; tamē vbiq; id prę̨ſtare poſſet, multum diu noctu cruciabatur. Domi tamen omnia quietiora erant, quoniam nihil in doctrina, nihil in eccleſiarū ritibus bene inſtitutis commutabatur, etſi homines turbulenti & nouarum rerum ſtudioſi, quales in omnibus rebuſpub. inueniuntur, quædam nonnunquam acerbiora & contumelioſa aduerſus ipſum & miniſterium eccleſiæ domi foriſq; molirentur, multa tamen diſsimulando & patienter ferendo vicit, ne vel magiſtratui alias ſolicito & occupato moleſtiam afferret, aut turbas & ſeditiones amare & illis ſtudere videretur. Præcipuè autem ſibi in eo elaborandum exiſtimauit, vt eccleſię miniſteria rectè adminiſtrarentur, & ea quæ à Zuinglio inchoata nondū tamē perfecta abſoluerentur. Synodos autem maximè neceſſarias eſſe cùm ad concordiam dogmatum, tum etiam ad diſciplinā morum inter miniſtros conſeruādam, omnium peritorum iudicio & conſenſu non eſt dubiū, inſtituerat aūt Zuinglius ſynodū miniſtrorū, quæ nunc etiā quotannis bis celebratur, ſed nondū cōſtitutiones ſynodi ordine cōſcriptę, à miniſtris receptæ & publica ſenatus auctoritate cōprobatæ erant. Extāt hæ publicè, quare nō eſt vt plurib. illas exponā. Quoniā verò eccleſiā videbat multis miniſtris opus habere, cum late pateat ager Tigurinus, multū in eo laborauit, vt iuſtus numerus

ſtudioſorum publico ſtipendio ad eccleſiæ miniſteria educaretur: initio quidem, quòd maxima pars opum eccleſiæ in preſbyteros adhuc ſuperſtites erogabatur, exiguus admodùm eorum numerus fuit, ſed paulatim creſcentibus eccleſiæ opibus, Bullingero ſubinde vrgente, auctus eſt, adeò vt etiam vicinis noſtris Turgeis, Toggijs & alijs vrbs noſtra eccleſiarum miniſtros ſuppeditet. Bibliothecam publicam quæ hactenus ferè neglecta iacebat, pauci enim ſacerdotum libros amauerant & curauerant, per optimum & doct. virũ C. Pellicanũ in ordinẽ redigi curauit, & plurimùm bibliotheca Zuinglij coempta & publicè addita auxit. Nactus autem collegam Theodorum Bibliandrum, virum doctiſsimum & trium linguarum peritiſsimum, qui in ſchola ſacras literas docebat, ipſe totum publicis concionibus ſe dabat, & quotidiè populum docebat, nihilominus domi ſcribendo ſe aſsiduè exercebat: nam præter alios libros quorum ſuo loco mentio fiet, præter epiſtolas & reſponſa quæ quotidiè in diuerſa loca illi ſcribenda erant, primis ſex annis quibus Tiguri docuit, commentarios in Acta Apoſtolorum & omnes D. Pauli atque Catholicas epiſtolas abſoluit & in publicum edidit: extabant autem tum præter Eraſmi paraphraſes, quibus ſe multum adiutum fatebatur, perpauca recentiorum in omnes epiſtolas commentaria, itaq; magno applauſu hic eius labor excipiebatur etiam ab illis qui non per omnia noſtræ doctrinæ conſentiebant. Genus enim dicendi ſimplex eſt & dilucidum, quo ſenſum ſcripturæ fideliter explicat, quæſtiones intricatas & à propoſito alienas nuſquam immiſcet, patrum ſententias adducit, ſed moderatè, neque in his citandis nimius eſt, aliorum explicationes aut prætermittit, ſuam expoſuiſſe contentus, aut honorificè eorum mentionem facit, indicans cur diſſentiat: neq; prolixitate faſtidium mouet lectori, neq; rurſus nimia breuitate tractationem obſcurat. Sed hæc aliorum iudicio relinquimus, extant enim omnia publicè & manibus theologorũ teruntur, nos ad inſtitutam narrationẽ redeamus, & ſeruata annorum quos viuendo confecit Bullingerus ſerie exponemus quid memorabile ei & vniuerſæ eccleſiæ noſtrę ſingulis acciderit, & quibus præcipuis magnarũ rerũ tractationibus adhibitus, deniq; quod curriculum vitæ ipſius fuerit vniuerſum.

Anno

Anno igitur 1532. Argentinenſes in conuentu Suinfurti habito ad Confeſsionem Auguſtanam acceſſere, ſic tamen vt ingenuè teſtarentur,ſe à confeſsione ſua & eius Apologia,quæ quatuor erat ciuitatum,non recedere. Bucerus tum negotium concordiæ tractans ſcribit eccleſiæ Tigurinæ, Lutheri ſententiam de ſacramentis ſibi tolerabilem videri, neque multum à Zuingliana differre,& in verbis potius quàm in ipſa re diſſenſionem eſſe poſitam. Reſcribunt illi Bucero eumq; hortantur ne à manifeſta veritate,quam tot concionibus,prælectionibus,diſputationibus & ſcriptis publicè propugnarit, ad Lutheri dogma de corporali præſentia Chriſti in cœna deflectat. Bucerus quòd ſe videret defectionis inſimulari, proximo anno 1533. cum Bartholomæo Fontio Veneto Tigurũ profectus eſt vt ſe purgaret, 1533.
& miniſtris perſuadere conabatur, Lutherum tantùm verbis & loquendi modis non ſententia & reipſa à ſe diſſentire. Hortabatur etiam ne quid acerbius contra Lutherum tentarent & ſcriberent. Illi accepta eius purgatione, ſe quidem optare Lutherum reipſa nobiſcum ſentire,ſed in libello nouiſsimè ad Francofortenſes edito ſic ab eo tractari negotium Euchariſtiæ,vt ſilere præſtitiſſet:ſe conſtituiſſe Deo adiuuante, in ea doctrina quam hactenus eccleſiæ ſuæ tradidiſſent tantiſper permanere, donec ex ſacris literis aliter edoceantur: interim quæ ad pacem pertinent,ſalua veritate diligenter curaturos. Hoc anno Bullingeri pater apud ipſum diem ſuum obijt, vterque enim parens ipſum Bremogarto diſcedentem ſecutus eſt, & ad obitum vſque cum ipſo permanſere: obijt autem anno ætatis 64. ac moriturus puram Euangelij doctrinam diligentiſsimè filio cõmendauit, exhortans ipſum vt in agnita veritate ad finem vſq; vitæ conſtanter perſeueret, hanc enim vnicam & ſolam eſſe ſalutis viam.
Anno ſequente 1534. cum Bucerus ſolicitaret paſsim eccleſias 1534.
ſuperioris Germaniæ ad collationem doctrinæ & concordiam cum Luthero ineundam, Bullingerus nomine miniſtrorum eccleſiæ Tigurinę confeſsionem fidei conſcripſit,quæ Conſtantiam ad Bucerum miſſa eſt, vbi etiam Sueuicarum eccleſiarum miniſtri Synodum habebant,atque tam Buceri quàm totius Synodi iudicio approbata eſt. Edita eſt eodem anno Baſilienſis eccleſiæ Confeſsio. Bullingerus verò præter commentarios ſcri-

pturarum,duas rationes euulgauit,vnam de testamento seu fœdere Dei vnico & æterno, aduersus quosdam qui omnia antiqui fœderis testimonia reijciebant: alteram qua asserit contra varias hæreses duas in Christo naturas, diuinam & humanam. Occasionem huic assertioni præbuit Claudius quidam Allobrox Serueti emissarius, qui commiscebat in Christo diuinitatem cum humanitate, aut potius vtriusque veritatem negabat: quorum hic nonnunquá Tigurum & ad alia Heluetię loca commeabat, & periculum erat ne aliquibus venenum suum afflaret:
1535. scripto hoc, malo illi obuiam ire voluit. Anno 1535. Illustris & generosus princeps Georgius comes Vuirtenbergensis, ecclesias suæ ditionis in Alsatia reformare, & in pura Christi religione instituere volens, quamuis Argentinensem ecclesiam viris doctis abundantem vicinam haberet, quæ nuper vt dixi se Augustanæ Confessioni adiunxerat, Tiguro tamen ministrum euocauit, qui ecclesias reformaret. Missus autem est ad illum Erasmus Fabritius, ac quamdiu princeps pijssimus vixit, eadem doctrina & ritus nostræ ecclesiæ conformes in illis locis remanserunt, & quo tempore edicto Cæsareo multis in vrbibus Germaniæ quædam religionis immutatio facta fuit, constanter in veteri doctrina & simplicitate rituum perseuerarunt, atque Illustris & verè Generosus ac sanctus princeps eo tempore in Heluetia & plerunque Tiguri commoratus, Bullingerum amanter complexus, eius consilio in grauissimis de religione controuersijs vsus est: sed post ipsius obitum, piorum magno cum dolore,
1536. tota ferè ecclesiæ forma immutata est. Proximus annus obitu Erasmi Roterodami, viri omnium ferè eruditorum quos Germania tulit clarissimi, insignis est. Bernates cum socijs Sabaudo bellum intulerunt, & totam ferè Antuatũ regionem cœperunt, qua victoria Geneuensi reipublicæ & ecclesiæ pax ab extero hoste parta est, & Euangelium latius per Sabaudiam propagatum. Actum est de concordia inter Lutherum & Helueticas ecclesias, atq; hoc nomine conuentus aliquot Basileæ habiti, quibus omnibus Bullingerus interfuit. Et quia multi Zuinglio tribuebant, quòd nuda tantùm signa in sacramẽtis agnosceret, etsi ex alijs scriptis abundè confutari poterant, tamen vtile visum est Bullingero, in publicũ edere libellum eius ad Christianum

Regem

Regem nondum hactenus publicatum, quo breuis fidei illius confessio continetur. Concordiæ autem inter Saxonicas & Helueticas ecclesias mediator erat Bucerus, qui pluribus annis hoc negotium egit, de quo non est quod multa scribam, cum tota actio publicè descripta extet, & præterea summá eius diligenter & fideliter Lauatherus noster in Sacramentaria historia exposuerit. Id tantùm nunc addam, Bullingerum non tantùm his actionibus omnibus interfuisse & præcipuas partes sustinuisse: sed in eo plurimùm laborasse, vt firma concordia inter Lutherum & nostras ecclesias constitueretur, adeò vt quidam eum in suspicionem vocarint, quasi ad Lutherum defectionem moliretur: verùm ipse & verbis & facto suam innocentiam comprobauit. Etenim cum Capito atq; Bucerus propositiones quasdam ad constituendam concordiá nostris proposuissent, easq; explicassent eo sensu qui nihil à nostrarũ ecclesiarum doctrina discrepabat, & affirmassent Itherũ hoc modo sentire, facilè quidem illis acquieuit, vt hanc eorum explicationẽ piam & orthodoxá cum alijs ministris ecclesiæ approbaret. Sed in propositionibus inerant aliqua ambigua & fucosa, ideò posita, vt Luthero satisfacerent, quæ & rectum sensum habere possent, quomodo etiá ea Capito & Bucerus interpretabantur, & rursus videbantur carnali & crassæ præsentiæ carnis Christi, quá nostri impugnabát, patrocinari, hæc vt reciperet, nunquam vel ipse vel alij nostræ ecclesiæ ministri adduci potuerunt: nempè vt docerent Christi corpus corporaliter & substantialiter, & inuisibiliter atq; supernaturaliter cũ pane præsens esse & exhiberi: monebat etiá alios, vt ambiguitates & flexiloquentiam huiusmodi cauerent, neq; enim hac ratione vllam firmá & stabilem concordiá posse fieri. Id quod euentus rei postea comprobauit. Postquá enim huiusmodi phrases antea inusitatæ, à plerisq; ecclesijs superioris Germaniæ receptę sunt, paulatim commutatio doctrinæ secuta est, & primi quidem veteresq; ecclesiarum ministri, qui norant quo sensu hæc recepta ab ipsis, & rursus quare à nobis repudiata essent, nõ adeò à nobis alieni fuerunt, sed amicitiá & fraternitatẽ nobiscũ coluerũt: Postquá verò his alij minus exercitati in controuersijs ecclesiæ, sed magis ferociuli successerunt, prorsus obtinuit crassa illa carnalis pręsentia, ac nunc nõ tantùm explicatio

illa Buceri, sed ne ipsæ quidem illæ pacificatoriæ propositiones amplius locum habent in illa ecclesia, in qua olim Bucerus tanto studio summa cum laude docuit, sic vt Zuingliani sint, hoc est ipsorum iudicio omnium mortalium pessimi, qui docent & scribunt iuxta illarum propositionum sententiam. Ac sicut in veteri ecclesia cum Orthodoxi defenderêt τὸ ὁμοούσιον. Eunomius contra doceret τὸ ἀνόμοιον: quidam vt contentionem hanc grauissimam componerent, duo hæc vocabula sustulerunt, & docuere Christum esse patri ὁμοιούσιον: sed hac formula contentiones magis auctæ sunt quàm sublatæ, dum alij docent similem per omnia etiam secundum substantiam atque ἀπαραλλάκτως, alij contra similem fatentur, sed non per omnia: ita etiam phrases ambiguæ in cœna Domini controuersiam hanc magis obscurarunt & auxerunt, quæ tamen bono studio pacificandi receptæ ab initio à multis rectè sentientibus fuerant. Bullingerus igitur sapienter hæc præuidit, & constanter ac fortiter cauit, plerisque aliter sentientibus, solus cum suis veterem simplicitatem retinuit, interim concordiæ nunquam defuit, pro fratribus alios agnouit, neq; à se dissentientes damnauit, imò postquam denuò ab alijs certamen renouatum est, quantum potuit, à conuitijs & omni verborũ acerbitate abstinuit. Sed de his iudicent æqui lectores, qui diligenter tam ipsius quàm aduersariorum scripta legerint, & iusta bilance examinarint, nostra oratio pergat in præcipuis
1538. rebus iuxta annorum seriem exponendis. Anno igitur 1538. magistratus Tigurinę vrbis Bullingeri suasu nouum collegium studiosorum instituit: Vrbs enim nostra duo habet peruetusta collegia, summi templi vnum à Clodoueo III. Francorum Rege fundatum: hoc attributum est ministris ecclesiæ & his qui publicè in schola docêt, qui vnà cum administratoribus decem numero in locum totidem Canonicorum successerunt, reliqui reditus collegij in vsum scholarum expenduntur, & studiosi adolescentes supra quinquaginta stipendium annuum vt literis vacent accipiunt: alterum collegium à Lodouico Germanico Pij F. extructum, nobilibus virginibus olim dicatum fuit, eo loci institutum est nouum collegium, in quo XV. adolescentes vnà cum præceptore aluntur, atque illis victus, vestitus, libri, omniaque necessaria liberaliter suppeditantur, idque Bullingerus

gerus suo consilio instituit quoad vixit, amauit, & diligentem eius curam habuit. Venere his annis aliquot Angli nobiles Tigurum, qui Bullingeri hospitio vsi sunt, & de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, deque ecclesiæ ritibus & ceremonijs eius sententiam diligenter perquirebant. Postquam enim Henricus VIII. Seren. Angliæ rex iugum Papæ abiecit, Anglorum studia ad amplectendum puram doctrinam quæ dudum ipsis illuxerat, magis accensa sunt. Qui igitur Tigurum venere, instabant Bullingero vt aliquid regi suo scriberet, de scriptura & episcopis, de quibus multa in Anglia controuertantur, quò confirmari posit in instituto suo reformandæ ecclesiæ: his igitur obsequens scripsit ad Henricum Regem libros duos, Primum de scripturæ sanctæ auctoritate, certitudine, firmitate & absoluta perfectione, ac his omnibus demonstratis, exhortatur ipsum vt omnibus hominum decretis postpositis & neglectis se totum verbo Dei tradat, & secundum scripturas Canonicas omnia in regno suo instituat: Secundum verò de episcoporum qui verbi Dei ministri sunt institutione & functione, cōtra superstitionis tyrannidisq; Romanæ antistites. Sequente anno 1539. libros 1539.
de Origine erroris recognitos & auctos magna accessione denuò publicauit, & præterea Vigilij libros vnà cum Vadiani ad se epistola, qua explicatur quæstio an corpus Domini nostri Iesu Christi propter coniunctionem cum verbo inseparabilem, sumat sibi alienas à corpore conditiones. Gasparus enim Schuencfeldius nobili familia natus apud Silesios, amicus quondam Zuinglio & nostris ecclesijs, de corpore Christi docebat, illud post assumptionem in cœlos & sessionem ad dextram patris, ita deificatum & verbo exæquatum esse, vt non amplius sit creatura. Hanc eius doctrinam multi per Sueuiam viri nobiles amplexi sunt, eamq; cōmendabat cùm studium gloriæ Christi, quam se asserere & huic vni studere cum suis gloriabatur, tùm auctoris ipsius mores & vitæ integritas quam pleriq; commendabant, & præsertim singularis humanitas, neq; enim à se dissentientes conuitijs, vt multi tum consueuerant, proscindere, sed patienter ferre & amicè complecti solebat. Quoniam verò multi de hac controuersia Bullingerum consulebant, noluit ille pro sua modestia quicquam priuato cōsilio respondere,

ſed & domi cum collegis de hac controuerſia deliberauit, & Vadianum virum longè doctiſsimum atque lumen Heluetiæ, quo familiariſsimè vtebatur, etiam conſuluit, & quoniam ipſius reſponſio doctè & accuratè conſcripta ſibi admodùm placebat, eandem alijs communicauit, atque vt veteris eccleſiæ ſententia de eadem quæſtione ſimul cognoſci poſsit, Vadiani epiſtolæ adiunxit libros Vigilij martyris olim contra Eutychianum errorem conſcriptos, in quibus humanæ naturæ veritas & veri corporis proprietas in Chriſto ſeruatore etiam in gloria exiſtente perſpicuis ac ſolidis ſcripturarum teſtimonijs aſſeritur. Eſt quidem Vigilius vnus ex poſterioribus patribus qui D. Auguſtinum ſecuti ſunt, verùm ita perſpicuè ita ſolidè ex ſcripturis diuinis diſputat, vt meritò ſuperioris ſeculi patribus æquari poſsit. Vtinam verò pari ſimplicitati & perſpicuitati in hac ipſa longè grauiſsima controuerſia de cognitione Chriſti ſeruatoris, noſtræ ætatis theologi ſeriò ſtuderent, minus eſſet controuerſiarum in eccleſia. Quid enim ſimplicius ſymbolis veteris eccleſiæ, in quibus profitemur nos credere Ieſum Chriſtum vnigenitum Dei filium vnum eundemque eſſe, verum Deum verumque hominem, ſalua vtriuſque naturæ proprietate, hunc natũ ex virgine, pro nobis paſſum, crucifixũ mortuum & ſepultum, & à mortuis reſurrexiſſe, atque in cœlos receptum, ibi retinere depoſitum carnis noſtræ aliquando in gloriam quoque reſuſcitandę, in hac carne vera & aſpectabili venturum denuò ad iudicandum viuos ac mortuos? Sed hæc ſimplicitas multis rudis & craſſa videtur, qui quotidie nouas loquendi formas cudunt, & ſe ſolos ſubtiliter atque ſpiritualiter de Chriſti corpore loqui, & mera oracula fundere perſuaſum habent: at his ſubtilitatibus ſimplices auditores ſtupefaciunt, vt doctores hos ſubtiles admirentur magis quàm intelligant. Ab huiuſmodi docendi genere per omnem ſuam ætatem plurimùm abhorruit Bullingerus, non deerat illli ingenium in percipiendis atque etiam excogitandis huiuſmodi ſpeculationibus, ſi huic rei ſtudere voluiſſet, ſed ſæpe monebat, Chriſtum ita ſua docuiſſe & apoſtolos docere voluiſſe, vt ea etiam à ſimplicibus hominibus diſci & cognoſci poſſent, corda eorum illuſtrante ſpiritu ſancto, qui ſuo afflatu non inſpirat ænigmata & obſcuras & ſpinoſas

diſputatio-

disputationes, sed ea potius quæ alioqui humanæ rationi obscura aut incognita sunt in mysterio Christi, illustrat, & fidem confirmat illa apostolis prædicata πληροφορία vt hæc credamus & amplectamur. Consentiebat autem cum Bullingero non tantùm in capitibus doctrinæ Vadianus cuius epistolam tum edidit, sed similiter simplici perspicuitati maximè studebat: ac amborum summa fuit quamdiu vixere coniunctio. Amicitiam contraxerunt anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, cum Vadianus à republica sua legatus ad Tuginos missus, quorundam insidias metuens quòd liberè de religione verba fecisset, Capellam venisset, vbi superiori anno Bullingerus ludum aperuerat, ab eo tempore amicitiam absque vlla offensione mutuò coluerunt, atque post obitum Vadiani qui Bullingerum præcessit, sæpe nobis multa iucundè & libenter de illo commemorare, & tanti viri virtutes & doctrinam singularem prædicare solebat: ostendebat etiam iustæ magnitudinis librum epistolarum, quas à Vadiano acceperat, quibus omnis ferè illorum temporum historia continetur. Edita est etiam à Vadiano proximo anno Epistola ad dominum Ioannem Zuicchium Constantiensis ecclesię pastorē de quæstione ferè eadem 1540.
cum illa de qua priore anno ad Bullingerum scripserat, in hac post explicatas in Christo naturas diuersas, & personam ex diuersis naturis vnam, Iesum Seruatorem nostrum vel in gloria veram esse creaturam, tum oraculis scripturarum sacrosanctis, tum interpretum orthodoxorum authoritate docetur & demonstratur: addita est huic Antilogia siue Responsio ad Gaspari Schuencfeldij argumenta, quibus Christum dominum in gloria receptum, etiam secundum carnem, amplius creaturam nullo modo esse contendit. Hæc vt in publicum ederentur præcipuus auctor fuit Bullingerus, qui etiam ad alias huius generis operas Vadianum impulit: nam in ipsius gratiam cum scriberet Commentarios in Acta apostolica, Vadianus composuit Epitomen triū terræ partium Asię, Africæ & Europæ, compendiariā locorum descriptionē continentem, præcipuè tamen quorū Lucas in Actis & passim Euangelistæ & Apostoli meminere: sed hoc opus annis VI. illas de quibus loquimur epistolas antecessit. Porrò hoc ipso anno Bullingerus edidit institutionē

1541. Chriſtiani matrimonij lingua vernacula. Sequens annus plures illi dolores & moleſtias attulit, peſtis enim hoc anno Tiguri graſſare cœpit, quæ è tribus filijs minimū natu illi abſtulit, ſed Dei beneficio maturè compreſſa eſt. Matrem quoq; iam ſeptuagenariam & amplius, ſeſquimenſem ante filium ſepelijt. Baſileæ verò mortui ſunt Andreas Caroloſtadius doctor, & Bullingeri quondā collega cum primùm Tigurum venit, & præterea optimus elegantiſsimus atq; doctiſsimus vir Simon Grynæus, qui cognitus Bullingero in actione Concordię, ab eo tempore amicitiam arctiſsimam cum eo coluit. Videbantur etiam in Heluetia res ad arma ſpectare, Roteuilani ob quaſdam controuerſias irati Ioanni Landenbergio illum cœperant, hęc cōtumelia adeò doluit Chriſtophoro illius filio homini militari, vt quamuis liberato patre nihilominus bellum Roteuilanis indixerat, Heluetij ex fœdere Roteuilanis præſidium miſere mille hominum, ſed hi Roteuilam non peruenere, Schaphuſiæ ſubſiſtere iuſsi à Roteuilanis, neque tum vlterius quicquam hoſtile vtrinque geſtum, ſed opera Vuirtenbergici ducis pax facta fuit. Atque hæc quidem triſtia mœrorem & ſolicitudinem aliquam attulere, ſed pro his longè maiorem lætitiam percepit ex reſtitutione Geneuenſis eccleſiæ. Superioribus annis eccleſiam illam inſtituerant, & gubernarant Guilielmus Farellus & Ioannes Caluinus, ambo pietate & doctrina vniuerſo orbe celeberrimi, hi deinde paucorum factione vrbe pulſi ſunt: ſed non multo poſt accidit vt Syndici, qui auctores pellendorum miniſtrorum fuerant, aliorum criminum meritas pœnas luerent, moxque ciuitas vniuerſa veteres miniſtros requirere cœpit. Docebat tum Caluinus ſacras literas in ſchola Argentinenſi, & quia ægrè munus hoc ſucepturus credebatur, ægrius etiam dimittendus ab Argentinenſibus, Senatus Geneuenſiū interceſsionē noſtrorum petijt, qui tam Senatum Argentinenſem quàm ipſum Caluinum hortabantur vt poſtulatis Geneuenſium ſatisfacerent, idque rationibus eorum auditis ſibi perſuaderi paſsi ſunt, atque Caluinus ad inſtaurandam Geneuenſem eccleſiam redijt. In Neocomenſi vicina eccleſia tum etiam ab improbis quibuſdam aduerſus ſanctiſsimum eorum paſtorem Farellum tumultuatum fuit, quem vrbe eijcere conabantur: hunc

motum

motum noſtri ſedare tentarunt, literis cùm ad Bernenſes arbitros huius controuerſiæ tum etiam ad Neocomenſes ipſos datis, quibus etiam ampliſsimi ſenatus literæ adiunctę fuerunt: exhortantur autem primùm Farellum ipſum ne gregem ſibi à Domino commiſſum propter turbas & odia improborum deſerat, ſed patienter hæc ferens errantes in viam reducat, fore Dei beneficio vt qui nunc odio ipſum proſequuntur, pœnitudine ducti ipſum prę cęteris amaturi ſint. Reliquos deinde miniſtros per eccleſias vrbis & comitatus Neocomenſis monent, vt Farellum, cuius miniſterio prima apud ipſos fundamenta verę religionis iacta ſunt, & cuius opera Deus in maximis rebus vſus ſit, conſtanter iuuent, neque patiantur eum ab improbis expelli, ipſo nanque eiecto ipſorum miniſterium luxatum non poſſe conſiſtere porrò & ſuam auctoritatem tueri: Farelli nomen & virtutes à Germanis plurimùm celebrari, & beatam iudicari Neocomenſem eccleſiam quæ hunc paſtorem habeat, quare ſi hunc eijci patiantur & quidem inſontem atque indemnatum, rem fore peſsimi exempli, & quæ perpetuam ignominiam illis inurat: Dandam autem ipſis eſſe operam vt Synodus conuocetur, Farelli accuſatores ſiſtantur & audiantur, & ita cauſa legitimè cognoſcatur. Poſtremò iiſdem literis ſenatum quoq; & populum Neocomenſem grauiter officij ſui admonent, & docent Farellum nihil iniqui ab ipſis petere, & quòd non pro ſuo officio magiſtratus præſtare debeat, vt conſtituatur diſciplina in eccleſia, & certus ordo ſeruetur in ordinatione miniſtrorum, à qua paſtores non ſecludantur. Fuit autem Dei gratia hæc noſtrorum admonitio nō inefficax, Farellus enim in ſuo miniſterio populi totius ſuffragio confirmatus eſt, & turbæ omnes ſopitæ ſunt: atq; hunc finem exoptatum proximo demum anno hic motus habuit. Bellum gerebat eodem tempore rex Franciſcus cum Carolo V. Imp. & anno ſequente Rex exercitum duxit Perpinianum: cum autem Gallus militem in Heluetia conſcriberet, Ordines imperij legationem Badam ad conuentum Heluetiorum miſere petentes vt quieſcerent, & domi retinerent ſuos milites: Tigurini hortantibus atq; approbantibus eccleſiarum miniſtris, legem qua vetatur militia mercenaria denuò renouarunt, & his qui ad bellum proficiſcebantur, tranſi-

1542. tum per ſuas regiones denegarunt. Euocauit dominus ad ſe hoc anno eximios in noſtris regionibus eccleſię miniſtros, Doctorem Ioannem Zuiccium Conſtantienſem, virum nō minus ſingulari humanitate & morum ſuauitate quàm doctrina clarum: hic cum peſtis in oppido Turgeæ quod Epiſcopi cella vocatur paſtorem abſtuliſſet, illuc profectus, ne grex paſtore deſtitutus papiſtis qui illic canonicorum collegium habent contemptui & ludibrio eſſet, aliquandiu ibi concionatus eſt, donec ipſum quoq; letalis morbus inuaſit & abſtulit. Alter fuit Leo Iudæ Zuinglij primum & poſtea Bullingeri collega atque eccleſię Tigurinæ ad D. Petri paſtor. Ambo fuere multis annis coniunctiſsimi Bullingero, curarum & laborum ſocij, quare non dubium eſt morte horum animū eius nō leuiter vulneratū fuiſſe: ſed hunc dolorē minuit, quòd Leone qui ſenex fuerat poſt multos labores curas & ſolicitudines ad quietem & perpetùam felicitatem euocato, in eius locum ſucceſsit Rodolphus Gualtherus à pueritia Bullingeri diſcipulus, in domeſtica eius diſciplina educatus & inſtitutus, qui his diebus trigeſimo tertio anno ab obitu Leonis, in locum ipſius Bullingeri magna bonorum

1543. gratulatione ſubſtitutus eſt. Laborauerat Leo aliquot annis ante obitum in Biblijs Latinè transferendis quàm fideliſsimè iuxta Hebræam veritatem, opus tamen integrum, ante obitum abſoluere non potuit, ſed id ſequenti anno à fratribus & collegis abſolutum atque in publicum editum eſt: huius operis exemplar typographus eleganter compactum D. Martino Luthero miſit, ille per epiſtolā eum monuit, ne poſthac ſibi aliquid mittat quod à miniſtris Tigurinæ eccleſiæ profectum ſit: ſe enim nullum cum eis commercium habere, libros eorum nec recipere nec legere velle. Nam eccleſias Dei cum eis communicare non poſſe. Multos quidem labores eos ſuſtinere ſed irritos & fruſtraneos: quandoquidem & ipſi iam damnati ſint, & alios quoque miſeros homines ſecum ad inferos abducant. Se itaque damnationis & blaſphemæ doctrinæ eorum nolle conſortem eſſe: ſed quoad vixerit, eos & precibus & libris oppugnare conſtituiſſe. Bullingerus igitur cum videret quo animo Lutherus in Zuinglium eiuſque doctrinam eſſet affectus, quidque deinceps ab eo eſſet expectandum, cum Typographo egit vt opera

Zuinglij

Zuinglij collecta ederet, vt præsentes & posteri ex eorum lectione cognoscere possent, qualem doctrinam Helueticis ecclesijs tradidisset. Quæ vernacula lingua à Zuinglio scripta fuerant, eius gener Rodolphus Gualtherus in Latinam linguam conuertit, & operibus Apologiam pro Zuinglio & operum eius editione præfixit. Bullingerus verò scripsit in Euangelium Ioannis commentariorum libros X. quorum exemplar cum misisset Melanchtoni, ipse scriptis ad eum literis opus eius probauit & laudauit. Edidit etiam hoc tempore Ioannes Cochleus, Papisticæ doctrinæ propugnator magis strenuus quàm doctus & disertus, librum contra Bullingerum de scripturæ canonicę, & ecclesiæ catholicæ auctoritate, huic Bullingerus anno qui hunc sequitur publicè respondit: & altero libello eiusdem Replicam de eadem controuersia refutauit, addita expositione breui de sancta Christi catholica ecclesia. Præterea hoc anno edidit in Euangelium Matthæi commentariorum, libros XII. Cęterùm in Saxonia editę sunt annotationes Lutheri in Genesim, quibus acerbè passim in Sacramentarios inuehitur. Mox Lutherus ipse frustra obsistente & repugnante Melanchtone, edidit breuem confessionem de cœna Domini: in qua Zuinglium, Oecolampadium, eorumque discipulos Tiguri & alijs in locis apertè hæreticos, sacramentorum hostes, æternumque damnatos esse dicit: & nihil nisi conuicia, damnationes, diabolosque toto libro crepat. De hoc libello Melanchton scribebat ad Bullingerum: Fortassis priusquam hæ meæ literæ ad te perferantur, accipies atrocissimum scriptum Lutheri, in quo bellum de cœna Dominica instaurat. Nunquam maiore impetu hanc causam egit. Desino igitur sperare ecclesiarum pacem. Tollent cristas inimici nostri, qui defendunt idola monachorum, ac rursus ecclesiæ nostræ magis distrahuntur, qua ex re ingentem capio dolorem. Nam priuato periculo, quod nunc mihi impendet, etsi non est leue, tamen tantum non moueor, quantum ecclesiarum nostrarum & literatorum distractionibus. Aliquot viri boni & docti inter quos Bucerus, hortabantur Tigurinos, vt cum multo iam tempore multa patienter dissimulassent, non sinerent suam nunc tandem patientiam expu-

1544.

gnari: ſed Luthero iam ſeni & de eccleſia Chriſti optimè merito parcerent, qui, vt credendum eſſet, non tam ſua ſponte quàm adulatorum impulſu tam atrox ſcriptum emiſiſſet. Quòd ſi omnino reſpondere decreuiſſent, oriturum grauiſsimum in eccleſia incendium, quod poſtea nō niſi magno eccleſię malo poſſet reſtingui. Alij verò omnino reſpondendum cenſebant & quidem acriter: quòd nec priuatim nec publicè læſus, tanta petulantia viuis & defunctis inſultaret. Etſi enim Lutherus bene meritus ſit de eccleſia, non tamen tantùm illi tribuendum vt vnus plus reliquis omnibus poſsit, & vt ob vnius offenſionem cauendam veritas turpi ſilentio prodatur. Ac fore vtilem huiuſmodi reſponſionem, cùm quoad ipſum Lutherum, qui dum omnes illi indulgent atque omnia permittunt, magis in illa ſua nimia vehementia confirmatur, quòd ſi fortiter ſe illi viri boni & docti opponant, rem diligentius expenſurum & moderatius acturum: tum ad alios commouendos ne tyrannidem in renaſcentem eccleſiam inducant, atque ſic eò redigendos qui nunc cunctantur & diſsimulant, vt cogantur tandē apertè ſuam ſententiam profiteri. In hanc ſententiam conceſſerunt Tigurini, & omnino reſpondere conſtituerunt ac ſui miniſterij dignitatem aſſerere, id enim & rei magnitudo poſcere videbatur: & quia morti vicinus erat Lutherus, ſi rem poſt eius obitum diſtuliſſent, periculum erat ne ſcripta eorum hac de cauſa, non ſolùm apud Lutheri diſcipulos, ſed alios quoque parum ponderis habitura eſſent: Bullingero igitur reſpondendi munus demandatur, is initio ſequentis anni Apologiam conſcripſit Latinè &
1545. Germanicè editam. In hac primum tractat de Marpurgenſi colloquio & concordia conſtituta inter Lutherum & Heluetios, de quibus ille quædam in ſuo libro ſcripſerat. Deinde ſummam fidei & doctrinæ noſtrarum eccleſiarum exponit. Poſtremò ad crimen hæreſeos & alia conuitia reſpondet. Curauit autem Lutheri reſponſionem ſuo ſcripto adiungi, vt eo melius omnia inter ſe conferri poſſent, meliuſque conſtaret vtri rationibus firmioribus niterentur. Apologiam hanc Bullingerus multis illuſtribus principibus & ciuitatibus per Germaniam miſit, additis etiam literis, quibus oſtendebat ob quas cauſas Luthero reſpondiſſent, à quo renitētes & inuiti in hanc arenam protracti ſunt.

Lectus autem est liber hic auidissimè etiam ab aduersarijs & in primis pontificijs, quibus gratissimum erat ecclesias Euangelicas primi nominis ita inter se digladiari: non pauci verò hoc lecto commoti sunt vt diligentius totam hanc controuersiam expenderēt, & rectius de sacramentis sentirent. Venere huc ipsa de causa Tigurum viri clarissimi D. Albertus Hardenbergius Frisius, D. Gerardus Vuesterburgius Coloniensis, atque D. Georgius Lætus Augustanæ reipub. à secretis, qui cum de alijs doctrinę partibus tum de sacramentis suam sententiam cum Bullingero complures dies contulerunt, & amicè disputarunt. Quare vt suam sententiam plenius explicaret, librum conscripsit de Sacramentis, quem primùm D. Ioanni Caluino iudicandum misit, & postea D. Ioanni à Lasco singulari suo amico: ab hoc postea editus est Londini hoc titulo: Absoluta de Christi Domini & Catholicæ eius ecclesiæ sacramentis tractatio auctore H. Bullingero, auctor ipse postea quæ sibi videbantur necessaria Decadibus suis inseruit. Sequuta est proximo anno mors 1546.
Lutheri & bellum Germanicum. Accusabant multi nostros, quòd mortuo Luthero insultarent, eumque in Domino quiescentem conuicijs proscinderent, & gloriarentur ipsum præ dolore mortuum, quòd nostræ Apologiæ non posset respondere. Item nolle nos eos ferre qui confessioni nomine Helueticarum ecclesiarum Basileæ conscriptæ & Luthero oblatæ se adiungant. Monuit de his Bullingerum illustris Hessorum princeps Philippus, is re cum fratribus deliberata omnium nomine principi rescribit, ac primùm gratias agit Deo qui principem tanto zelo promouendi gloriam Dei & ecclesiæ concordiā atq; salutem donarit: deinde. Ill. principi pro beneuolentia sua & fida admonitione gratias agit, ac ostendit sibi plurimùm dolere quòd turbulēti homines huiusmodi criminationibus falsis nos in odium principis adducere conentur. Etenim non esse moris nostri, vt quenquam in concionibus publicis aut lectionibus theologicis conuicijs proscindamus, nedum Lutherum optimè de ecclesia meritum: & quamuis ipse Lutherus in concertatione sacramentaria nos contumeliosissimè appellarit, nunquam tamen nos nisi honorificam eius mentionem fecisse. Constare autem nobis hodie quoq; in Saxonia complures ministros non

nisi cum contumelia aliquam nostri mentionem facere, nos Suermeros, Iconomachos, sacramentarios & blasphemos nominare: atque Marpurgi in ipsius principis Academia, Theobaldum Thamerum in publicis lectionibus nos multis probris onerare: petere igitur nos ab ipsius Clementia vt nostræ innocentiæ rationem habeat, & silentium huiusmodi conuiciatoribus indicat. Magnam præterea nobis fieri iniuriam, quòd dicamur expellere eos qui Basiliensem confeßionem amplectantur: nam propt... hanc controuersiam neminem vnquam à magistratibus nostris eiectum: neq; hic opus esse magistratuũ animaduersione, cum summa sit inter omnes de hoc dogmate consensio. Basiliensem confeßionem nos agnoscere, modò verba quædam non trahantur in alienum sensum quàm à nobis scripta sunt: si Lutherus cum suis hac confeßione quam approbarant contenti, publicis scriptis nunq̃; nos contumeliosè prouocassent, pacẽ conseruari potuisse. Atq; quod nobis obijcitur idipsum in his locis contingere vbi Lutheri libri regnant, vt pij homines qui Basiliensem confeßionem profitentur, locum habere nõ poßint: id nos clementię principis expendendũ relinquere. Quòd autem in Aula Imperatoriæ maiestatis controuersia hæc sacramentaria illustriß. principi obiecta fuerit, nobis dolere, sed nos non esse certaminis auctores, sed prouocatos non debuisse causam bonam deserere, & ecclesiarum nostrarum & ministrorum eius cùm viuorum tum mortuorum famam negligere. Paratos esse nos, quod etiam vltima Responsione ad Lutherum testati sumus, perseuerare in ea fidei simplicitate & integritate quam in confeßione Basileæ publico nomine conscripta professi sumus. Sed à nobis plura exigi, vt nullam mentionem faciamus spiritualis manducationis, & corporalẽ tantùm pręsentiam confiteamur, id nos facere salua conscientia non posse, multo minus cum Luthero confiteri, panem esse naturale corpus Domini, quod impij ac Iudas non minus corporaliter sumant quã Petrus & omnes sancti: hęc enim ipsius Lutheri verba sunt. Adhæc Lutherum cum suis scripsisse, excepta transubstantiatione, de sacramento per omnia consentire cum Romana ecclesia, quod nos nullo modo probare poßimus. Paratos tamẽ esse nos ad pacem seruandam, modò petant vt ea dicamus & concedamus.

damus, quę neq; intelligimus neq; alios docere possumus, quoniam perspicuè in ecclesia loquendum est, & simplices non turbandi. Postremò petit vt illust. princeps nostram excusationem clementer recipiat, & nos etiam apud alios illustrissimos & illustres principes excuset, ac si in posterum aliqui nos accusent, ne illis fidem habeat, sed pro sua clementia nostram defensionem prius audiat, semper enim paratos nos fore ad reddendam rationem doctrinæ si id à nobis postuletur, nos veritati maximè studere, & simul concordiæ inter magistratus cõseruandę. Non displicuit hęc responsio Landtgrauio, qui semper pacis ecclesiarum studiosus & nostris nunquam inimicus fuit, Bullingerum quoq; magna beneuolentià complexus est. Et quoniam mox secutum est bellum Germanicum, aliquoties ex castris ad Bullingerum scripsit: petebat autem vt Heluetij quoq; qui Euangeliũ profitentur, suas copias auxilio mittant Protestantibus, sed id ob graues causas illi facere renuebant: & docebant magis è re esse principum vt bello abstineant, alioqui reliquos quoq; pagos Romanæ religionis suas copias Cæsari auxilio missuros, qui nunc quamuis petente hoc Cæsare & Papa nostrorum exemplo quiescant. Interea tamen aliquot millia nostrorum absque publica auctoritate vrbibus imperij militarunt. Ministri, quod ipsorum muneris erat, publicas preces instituerant, ac conuocato populo Deum pro pace & salute totius Germanię religiosè deprecabantur. Sequens annus tristem belli exitum attulit 1547.
Saxone & Hesso principibus captis, ac omnes qui vbiq; Euangeliũ profitebantur, in maximo versabantur periculo, itaq; nostri imperatorem belli creant, & in vrbe atq; agro passim militum delectum habent, si fortè hostes ingruant & Heluetiam inuadant, vt patriam defendere possint. Eodem tempore post infelicem belli exitum illustris princeps Georgius comes Vuirtenbergicus Tigurum venit, qui multis in rebus Bullingeri cõsilio vsus est, & non paucas de religione quęstiones illi proposuit, ad quarũ nonnullas scripto respõdit. Ioannes quoq; Hopperus postea Glocestrẽsis episc. in Anglia & martyr, iisdẽ tẽporibus Tigurum venit cum vxore, Bullingero familiarissimus, cum quo de omnib. cap. religionis tũ pręcipuè de sacramẽtis sępè disseruit, et quę nostrorũ esset sentẽtia exquirẽs, & q̃d aduersariorũ obiectis

respondendum sit discere cupiens : quæ autem ipsius sententia fuerit, & quàm consentanea doctrinæ nostrarum ecclesiarum, scripta sanctissimi martyris testantur à viro Cl. Ioanne Foxo hi-
1548. storiæ martyrum Anglicorum inserta. Annus 48. monstrosum partum & toti Germaniæ pestilentem protulit, INTERIM nominarunt, edictum Cæsareum, quo promulgatur certa quędam religionis formula seruanda interim donec vniuersali concilio coacto religionis controuersiæ cognoscantur & tollantur. Quidam putarunt admittendum esse hoc edictum, & aliquam seruitutem in rebus externis ferendam: sed quia non tantùm agitur de rebus externis, verùm de capitibus fidei nostræ, sanior pars theologorum Germaniæ sese opposuit, videbant enim neruos quodammodo sanæ doctrinæ succidi, si dogmatum explicatio talis approbetur, qualis in hoc scripto Interimistico traditur. Refutauit id publico scripto Caluinus: similiter Bullingerus fecit, sed eius scriptum nō exijt in publicum, nam metu Cæsaris tam nostri quàm Genuensium typographi id publicare noluerunt. Acriter nanq; Cæsar edictum hoc vrgebat, & pleræq; vrbes, ac principes ipsi mandabant suis vt id reciperent, qui renuissent id admittere, his arma intentabantur: ex harum vrbium numero erat Constantia sita in finibus Heluetiæ ad lacum Acromum, pro qua cùm ob viciniam tùm ob veterem amicitiam & eiusdem religionis professionem, nostri soliciti admodùm erant: multumq; in eorum causa Bullingerus laborauit, non tantùm apud Heluetios verùm etiam apud exteros principes: sed consilia ista atque actiones irritę fuere, quorundam fortè studio qui nimis religiosi, nihil vlterius putabant tentandum quo Cæsar offendi posset, neque amicitiam iungendam cum illius hostibus. Dum igitur incerti suorum consiliorum hærent, Hispani sexto Augusti vrbem ex improuiso oppugnant, etsi autem non absque clade amisso etiam duce repulsi fuere, tamen è ciuibus multi quoque & egregij viri occubuerunt: itaque proscripti ab imperatore & varijs modis vexati, tandem se Austriacæ domui dedidere : Ministri ecclesiarum nullum amplius locum habentes vrbe deserta in Heluetiam se recepere, ex his Ambrosius Blarerus primarius honesta familia natus, & magna eloquentia præditus, Vitoduri consedit, Ioannes Iunius

Arouiæ

Arouiæ & poſtea Baſileæ, Iacobus Funclius Biennæ. Paſſim etiam per Germaniam miniſtri eccleſiarum, quòd edictum de religione non approbarent, ſolum vertere coacti ſunt, & qui hoc tempore manſere, horum multi poſtea anno 1551. domo expulſi ſunt: ex his quidam ad Heluetios & Tigurum profecti, humaniter à Bullingero & fratribus excepti ſunt, qui eos & domi noſtro magiſtratui, & alijs per Heluetiam vrbibus quæ Euangelium profitentur, per literas diligentiſsimè commendauit, quamuis non ignoraret quoſdam eorum noſtris infenſiſsimos aliquando fuiſſe: ac nonnulli poſtmodùm domum reuerſi, obliti humanitatis ſibi præſtitæ, acerbiſsimi noſtrorum hoſtes fuerunt. At Vuolfgangus Muſculus antea quoque noſtris amicus cùm Tigurum veniſſet, & inde Bernam ad docendam theologiam vocatus fuiſſet, tam humaniter à Bullingero exceptus & viciſsim tanto amore ipſum proſecutus eſt, vt ad obitum vſque coniunctiſsimi fuerint: quid autem ſenſerit de Cœna Domini & alijs doctrinæ Chriſtianæ partibus, quàm plurimi libri ab eo editi abundè teſtantur. Quoniam verò maximi motus erant tota Germania, & periculum erat ne Heluetij vel ab extero hoſte oppugnarentur, vel religionis cauſa inter ſe committerentur, quærebatur à multis quomodo huic rei obuiam iri poſſet, atque Pagi qui ſe Catholicos nominant, poſtulabant à reliquis num ſe Concilio vniuerſali & libero atque Chriſtiano ſubijcere velint, atque ea quæ ab hoc ex ſpiritu ſancto decreta fuerint recipere. Deliberatum eſt de hac re à legatis vrbium, difficile enim videbatur Concilium vniuerſale & liberum atque Chriſtianum contemnere, & nolle probare quæ ex Spiritu ſancto decreta fuerint: rurſum ſimpliciter huic poſtulationi aſſentire, periculoſum eſſe iudicabant, propterea quod Pontificij omnibus his titulis ornarent Tridentinum concilium: conſulti igitur ſunt de hac re miniſtri eccleſiarum, apud nos deliberatione habita Bullingerus ſcripto reſpondit. Ac primùm oſtendit quæ ratio fuerit conciliorum in veteri & apoſtolica eccleſia, & quæ item eſſet Conciliorū papiſticorum, longè nimirum diuerſa à priore. Deinde docet quale ſit concilium, quod Cæſar in comitijs imperij celebrandum promittebat Tridenti. Primùm id à Papa ex conſilio Cardinalium po-

ſtulante Cæſare indictum fuiſſe, ac in eo nomine Papæ tres Cardinales præſidere. Deinde neminem in illo ius ſuffragij & dicendæ ſententiæ deciſiuæ habere præter patriarchas, epiſcopos & prelatos papæ iuratos. Tertiò ad mitti hos qui Papæ con tradicunt ſub fide publica, ſed ad hoc tantùm vt audiantur. Preterea in Concilij indictione ſcribi id conuocari ad extirpandas hæreſes: certum autem eſſe noſtram doctrinam à Papa & ſuis hæreſim atq; nos hæreticos nominari. Quartò Epiſcopos & reliquos qui ad Conciliū euocantur, iuramento Papæ obſtrictos eſſe ad defendendam Romanam ſedem & extirpandos qui huic aduerſantur. Quintò ſententias ferendas in hoc concilio non tantùm ex Scripturis verùm etiā ex Patribus, Traditionibus, & ſecundum ecclesię interpretationē. Sextò multos epiſcoporum eſſe indoctos & turpis vitæ, quibus tamen contra ius & æquum locus in Concilio ſedendi conceditur. Cum igitur tale ſit concilium, quod hodie omnium ſermone iactatur, non poſſe nos huic ſubijcere noſtram doctrinam. Neq; hanc recuſationē iniquam eſſe, quoniam & Paulus Apoſtolus, & Athanaſius atq; Ambroſius epiſcopi ſe iniquis concilijs ſubijcere recuſarint: concilium enim æquum non recuſari à nobis, ſi quando Dei gratia tale aliquod quod ſit vniuerſale liberum & verè Chriſtianum, in quo nō ſit alius iudex quàm ſola Canonica ſcriptura, indicatur publicè, & certò conſtet vbi, quomodo, à quibus, & cur celebrandum: alioqui non eſſe tutum ſe concilio ſubijcere, de quo non conſtet quale futurum ſit. Inſtituiſſe noſtros ab initio religionis cauſa colloquia quædam & diſputationes publicas, publicaſſe etiam ſuę fidei confeſsionem, addita ſemper hac clauſula, ſi quis meliora edoceat, ſemper paratos fore vt nos humiliter verbo Dei ſubijciamus, quare ſi Chriſtianum & liberum Concilium ſolùm ex ſcripturis canonicis iudicet, & de controuerſijs religionis pronuntiet, nos paratos eſſe illius ſententiam audire. Placuit hoc conſilium magiſtratui & in eandem ferè ſententiam plerique aliarum vrbium theologi ſuo magiſtratui reſponderunt. Etſi enim ſimplex promiſsio, nos probaturos ſententiam vniuerſalis liberi & Chriſtiani concilij in ſpiritu ſancto congregati per ſe non fuiſſet impia, tamē quia aliter Concilium Chriſtianum Pontificij aliter noſtri intelligant, ſatius iudicarunt

runt sententiam suam ab initio perspicuè exponere, quàm postea vbi ad rem ventum fuisset, de verborum interpretatione ac sensu altercari. Anno sequente facta est consensio Caluini & Geneuensium cum Tigurinis in re sacramentaria. Etenim 1549.
multis videbatur Caluinus diuersum quid à Tigurinæ ecclesiæ ministris de cœna Domini tradere, ac consubstantiationi nonnihil fauere, quare vt se ab hac suspicione liberaret, adiuncto sibi Farello Neocomensium pastore Tigurum profectus est, & cum ministris Tigurinæ ecclesiæ de causa cœnæ contulit, facileque inter eos vtrinque veritatis amantes & studiosos conuenit. Consensionis huius formula à Caluino & Bullingero conscripta, ab reliquis Heluetiæ & Rętiæ ecclesijs approbata, & postea in publicum edita est: atque hoc vinculo non tantùm ecclesiæ arctius inter se coniunctæ sunt, sedmulti quoque viri boni alijs regionibus in agnitione veritatis hoc scripto confirmati fuerunt, aduersarios autem nostros consensio hæc magis irritauit, vt acerbius scriptis in nos inueherentur. Scripsit quoque hoc tempore Bullingerus Sermonum Decades quinque, quæ hoc anno & proximè sequenti in publicum editæ sunt. Mortuo in Gallia Francisco Rege eius successor Henricus cum Heluetijs agere cœpit, de renouando fœdere, & Tigurini non tantùm à Regijs legatis, sed ab Heluetijs quoque hoc nomine sæpe appellabantur: & quia Bullingeri magnam esse auctoritatem omnes norant, qui suos à fœdere hoc dehortabatur, multis rationibus illi persuadere conabantur fœdus hoc vtile reipublicæ fore, ideoque omnino nostros assentiri debere. Sed ille constanter in veteri sententia persistens, senatum populumque Tigurinum ab hoc fœdere dehortabatur, docens non esse ius aut fas homini vt se mercede conduci patiatur ad fundendum sanguinem miserorum, & plerunque innocentum hominum, à quibus nulla ipse vnquam iniuria affectus sis. Maiorum nostrorum qui forti manu libertatem Heleticam asseruerint, mores imitandos esse, qui ab huiusmodi vitæ genere alienissimi, domi suo sibi labore victum parantes, nulli principi se addixerunt, neq; suam libertatem venalem habuere. Huiusmodi fœderibus libertatem Helueticam imminui, & exteris Regibus atq; principibus prostitui,

multis rationibus adductis ostendebat,& quæ incommoda hoc fœdus afferret commemorabat. Facilè autem à nostris obtinuit vt hoc fœdere abstinerent:memores enim cladium quas accepe rant dum exteris Regibus se addicunt, & ciuilium quoque dissensionum quæ inde exortæ fuerant:& cum his conferentes pa cem & tranquillitatem qua domi fruebantur, omnes in repudiando fœdere & veteribus legibus atque consuetudinibus ser
1550. uandis consentiebant. Annus qui hunc excepit quinquagesimus, tranquillus fuit: æditæ sunt Decades sermonum duæ IIII. & V. Serenissimo Angliæ Regi Eduardo VI. inscriptæ, & quoniam tum libera Euangelij prædicatio Anglis concessa fuit,frequẽtes literæ à Bullingero ad Principes aliquot Anglos & episcopos atque ecclesiarum ministros conscriptæ sunt. Respondit etiam ministris ecclesiæ Emdensis,quibus tum proponebatur Reformatio quædam noua introducenda in ecclesiam, non dissimilis in quibusdam Interim Cæsareo.Monebat autem eos,cum constet Papistas & Interimistas insidiari nostræ doctrinæ, vt eam infamem reddant,& ideò ceremonias abolitas nobis obtrudere,vt gloriari possint nos assumere quæ olim abiecerimus, & ædificare quæ ante destruxerimus, cauerent ne veteres Papisticos ritus recipiant,cum magno ecclesiæ offendi culo atque etiam dissipatione. Deum requirere à nobis puram simplicitatem & simplicem puritatem,quam ipse tradidit nobis in verbo suo perfectissimam: ab hac non licere nobis recedere vel ad dextram vel ad sinistram. Perseuerandum igitur in his quæ accepimus & tradita sunt ab Apostolis, ea autem fugienda quæ fugere præceperunt Apostoli, prædicentes in postremis temporibus venturos illusores, qui & doctrinam & ecclesiam suis figmentis & artibus corrumpant. Decretum illud Interim dictum arridere quidem multis,sed nihil aliud esse quam Isagogen quandam ad Papismum. Clamare quidem aduersarios,nos qui hæc reijcimus,cerebrosos homines esse & publicę pacis per turbatores: sed hoc immeritò nobis impingi, qui ea sapimus quæ scripturarum sunt,& in his constanter perseueramus: ab illis potius turbari pacem,qui cõscientias fidelium perturbant, & seruituti Antichristi rursus subijciunt. Ornari multa titulo indifferentium,sed ea nõ posse defendi vllis scripturis, ac mera

hominum

hominum commenta esse, nō obtrudenda hominibus Christianis, de quibus Paulus: Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. Imò pleraq; ex his pugnare cum scripturis ex diametro. Proinde standum in veritate, & sanctificandum nomē domini: orandumq; ardenter eum qui solus sapientissima consilia sufficiat, & vires efficiendi quod vult dare potest. Simul etiam ad quæstiones ab ipsis transmissas ordine respondet. Huius anni tranquillitatem luctus & disceptationes grauissimarum rerum quæ anno insequente quinquagesimo primo subsecutæ sunt, compensarunt. Tiguri enim hoc anno mortui sunt Henricus Engelhartus doctor, & Henricus Brenualdus quondam præpositus Embracensis, ambo amicissimi Bullingeri, & qui ab initio reformationis nostrarum ecclesiarum Zuinglio fideles socij & adiutores fuerunt. Deinde Vadianus consul S. Galli quem semper vnicè dilexerat, à Domino ex hac vita euocatus est: his accessit mors summi theologi D. Martini Buceri, non Bullingero tantùm sed toti ecclesiæ luctuosa. Visus ille quidem fuerat aliquanto alienior à Bullingero & nostris factus esse, postquam anno XXXVIII non potuit ab eo tale responsum quale petebat ad Lutherum impetrare: sed nihilominus amicitiam nobiscum coluit, & in Anglia ardentius nostros denuò amare cœpit, cum vidisset consensionem nostræ & Geneuensis ecclesiæ, eiusque nomine toti ecclesiæ gratulatus est. Adhæc Petrus Martyr Buceri intimus, cum ijsdem ferè verbis in causa cœnæ quibus Bucerus diu vsus fuisset, quòd existimaret hanc rationem conuenientem esse ad componendum dissidium inter Lutheranos & Zuinglianos: tandem cum videret multos sua verba ita accipere, ac si crassam aliquam corporalem præsentiam statueret, noluit amplius obscurè loqui, sed quàm apertissimè suam de cœna Domini sententiam proposuit. Huius exemplo multi viri boni Bucerum vt idem faceret hortabantur, sed cum ingressus esset hanc causam, Cantabrigiæ incredibili luctu & mœrore bonorum omnium decessit. Mense Iunio huius anni Badæ in publico conuentu Heluetiorum, Nuncius Pontificius allato Breui (vt vocant) Apostolico, ab Heluetijs petijt, vt prælatos suæ regionis, Tridentum mittant ad Concilium, item vt efficiant quò doctores & cōcionatores ipsorum, ibidem

1551.

appareant: hortatur etiam illos vt maiorum suorum exemplum imitentur in reuerentia & obedientia suæ sanctitatis & sedis Apostolicæ: quartò petit responsum de his postulatum, se enim paratum esse ad mittendum legatum, qui plura de negotio Concilij cum ipsis agat, postremò num Heluetij velint sedem Romanam & statum atq; libertatem ecclesiæ defendere, & contumaces atq; rebelles coercere & punire, ab ipsis cognoscere cupit. Quoniam verò actio hæc maiori ex parte ecclesiastica erat, Bulllingerus cum collegis ea de re consultus fuit. Et quia tum Papa Concilium vbiq; vrgebat, multi per literas à Bullingero quærebant quid respondendum sit ad hæc postulata: itaq; librum cõscripsit, quo demonstrat Concilium Tridentinum institutum esse ad opprimendam veritatem: qui Latinè quidem non est editus, sed Italicè tantum translatus in eam linguam & auctus à P. Paulo Vergerio cui auctor legendum dederat. Cæterùm summa responsionum Bullingeri hæc erat. Primùm non videri sibi quicquam Papę respondendum esse, cum quo iam ab annis 30. nihil negotij nobis fuerit, attamen quia hæc in publico confœderatorũ conuentu proposita sint, illis respondendum esse. Ac primùm quoniam iugum Papæ abiecerint edocti ex sacris literis, nõ debere nostros illius vocationi parere & se denuò eius seruituti subijcere: præsertim cum ab eo tempore Papa suam doctrinam, ritus, consuetudines, imperium & potentiam ex scripturis nunquam probare potuerit. Heluetios Romanum imperium agnoscere à quo etiam multa priuilegia habeant, neque tamen ad conuentus imperij venire etiamsi à Cæsare vocentur, id grauibus de causis ab illis fieri, multo minus Romano episcopo parendum in his rebus quæ ad fidem & animarum salutem pertinent, in quæ nullum ius habet. Non esse in agro Tigurino prælatos qui mittantur ad Concilium, neq; consultum esse vt Pontificij prælati è publicis præfecturis quarum imperium ad nostros quoq; pertinet illuc mittantur, parci posse in hac re magnis sumptibus: finem Concilij esse vt Papistica religio seruetur, id quod prælati isti alioqui faciant. Quod concionatores attinet, eos aliter vocari quàm prælatos, nam in Breui nullam horum mentionem fieri, sed tantùm à nuncio Papæ vocari: ita autem vocari, quasi his missis omnia pacata futura sint,

belli autem periculum imminere si non mittantur. Verùm obseruandum esse hic non de persona ministrorum sed de doctrina agi, vt qui mittunt suos in concilium, seipsos suamque doctrinam Papæ & concilij iudicio subijciant. Ita nanque Cæsarem in Comitijs imperij postulasse, vt Principes & status Imperij se determinationi Concilij subijciant, Etsi autem aliqui mittantur, id nulli vsui fore, quicquid enim proposuerint aut disputarint, concilium nihilominus suo more perget, præsertim cum iam septem sesiones habitæ atque conclusæ sint. Non posse autem nostrarum ecclesiarum ministros, atque ipsas ecclesias, se subijcere Tridentino aut vlli Pontificiorum concilio. 1. Concilium Tridentinum non esse conuocatum, neq; celebratũ apostolico more & ordine: id quod ex sesionibus iam habitis facilè demonstrari posit. 2. Concilium hoc nobis iniquum & partiale esse: præsidet enim papa per suos legatos: assessores autem & patres concilij sunt, Patriarchæ, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Generales ordinum, Theologi à Pontifice, à Sorbona, à monachis & præsertim Mendicantibus misi: qui omnes quocunq; nomine nuncupentur, creaturæ sunt Romani Pontificis, & illi ipsi quos hactenus publicè accusauimus, & quibus non tantùm à nobis, sed ab omnibus veræ pietatis studiosis & seriò aliquam reformationẽ ecclesiastici ordinis quærentibus, culpa omnis corruptionis in ecclesia iam ab aliquot seculis tribuitur: hi contra omne ius naturæ volunt esse iudices, cõsiliarij, testes, accusatores & planè omnia: & ijdem iuramento obligati sunt ad defendendũ Papatum contra omnes quicunq; illi fuerint. 3. Papa in Concilij indictione testatur hoc ad extirpandas hæreses conuocari: ipse autem cum suis dudum nos iniquisimè hæreseos damnauit: itaq; insaniremus prorsus, si vellemus in tali concilio apparere. 4. In concilijs Pontificijs & hoc ipso Tridentino nemo habet vocem decisiuam pręter prælatos, Cæsar ipse dicitur tantum aduocatus concilij & eius defensor, itaq; nulla moderatio à politicis principibus sperari potest: vt iã non dicamus Cæsarem & multos alios nos quoq; vnà cum Papa damnasse. Tale igitur Concilium accedere & se huic subijcere, quid aliud esset quàm veritatem prodere? Christus & Apostoli nunquam accesserunt Concilia hostium fidei veræ, imò Dominus Apostolis prædixit fore vt tradantur in eorum

concilia & virgis cædantur. Etsi autem non inijciantur manus ministris Christi in hoc Concilio, tamen si illuc mittantur, gloriari posset de obedientia sibi præstita, & videretur sibi meliorem occasionem habere persequendi bello eos qui finito concilio determinationi illius non pareant. Nostros anno XLIX. pollicitos, non recusaturos se Concilium, si quod Dei gratia ad inquirendam veritatem conuocetur, quod sit vniuersale, liberum, securum, Christianum, sed Tridentinum concilium non inquirendæ veritatis causa sed confirmandi Papatus gratia indictũ, quod bulla indictionis testetur. Non esse vniuersale neque enim omnia membra Christianitatis admitti: & Angliam & alia plura regna in illud nõ consentire. Non esse liberum & securum, cum vniuersa potestas sit penes solum Papam. Non etiam esse Christianum quamuis ita nominetur, agi enim de honore & gloria Papæ, non de Christi gloria. Postremò constitutum iam esse quarta sessione, vt in hoc concilio non tantùm secundum scripturas sed etiam secundum Traditiones, libros non canonicos. Patrum doctrinam concludatur, neque alius sensus scripturæ recipiatur quàm quem habet Romana ecclesia. Atque hæc ferè summa est eorum quæ varijs scriptis cum amplissimo Senatui Tigurino, tùm alijs de eadem re quærentibus respondit. Interea in Geneuensi ecclesia dissidium ortum fuit de Electione diuina: Hieronymus enim Bolsecus medicus publicè doctrinam Caluini oppugnare cœpit, & plebem hortari ne se ab eo seduci pateretur, respondit huic Caluinus, & eius errorem testimonijs scripturæ & D. Augustini complurimis confutauit. Quoniam verò ille in errore suo contumaciter perseuerabat & iactabat se in alijs ecclesis complures habere ministros secum sentientes, visum est Senatui & fratribus Geneuensibus Helueticarum ecclesiarum sententiam percontari, & præsertim Tigurinæ, quoniam Bullingerum eiusdem secum esse sententiæ mentiebatur. Respondit tum Bullingerus vnà cum alijs fratribus, & ita respondit, vt omnibus appareret istum qui docebat electionem ex fide pendere, fidemq; ipsam non minus ex proprio hominis motu quàm ex cœlesti inspiratione oriri, malitiose abuti nostrorum nominibus. Equidem scio Bullingerum multis suspectum fuisse, quasi

quasi non idem quod sanctæ memoriæ Zuinglius de æterna Dei prouidentia & electione, humanoque arbitrio sentiret, sed qui sic iudicarunt, magnam illi fecere iniuriam. Etenim cum quidam in priuatis congressibus & publicis etiam cœtibus ita de his mysterijs disputarent, vt dicerent hominem etiam inuitum cogi ad peccandum, & Deum causam peccati simpliciter assererent, sese his opposuit, ac monuit sobriè de tantis mysterijs loquendum, ne inde homines ansam arripiant culpam suorum scelerum aliò transferendi & blasphemandi Deum. Itaque hoc studebat vt doceret suos agnoscere gratuitam Dei beneuolentiam, qua nos absque vllius dignitatis nostræ respectu elegit: fidem semper prædicabat donum Dei esse idque gratuitum, per quam Christi efficiamur participes: viribus hominis non renati nihil esse attribuendum nisi corruptionẽ culpam & pœnam. Exposuit autem in varijs scriptorum suorum locis quid de tantis mysterijs sentiret, maximè in Decadibus sermonum, in libris aduersus Anabaptistas, in Compendio Christianæ religionis. Ac fuit reuera summus consensus inter ipsum & Caluinum atque Martyrem, quod non tantum arctissima eorum amicitia confirmat, sed Consensio etiam cum Caluino & Geneuensi ecclesia in re sacramentaria testatur, vbi ab initio summa huius negotij paucis sed dilucidè comprehenditur. Sequitur iam annus quinquasimus secundus quo bello tota ferè arsit Germania, nam Turca regi Romanorum, Rex Gallus & illi confœderati principes Germaniæ Cæsari bellum mouerunt, atque vndique circa Heluetiam arma perstrepebant, domi tamen pax erat, nisi quod annonæ caritas aliquandiu nobis molesta fuit. In tanta igitur rerum omnium perturbatione conciones aliquot vernacula lingua in publicum edidit, tempori huic ad consolandos afflictos, & ad veram pœnitentiam persuadendum accommodatas. De vero auxilio & liberatione in omnibus periculis, ex Euang. Matthæi XIIII. cap. De vera & firma fide in omnibus aduersis & tentationibus, ex Euang. Matth. XV. cap. De resipiscentia siue vera pœnitentia hominis peccatoris, ac immensa Dei misericordia erga peccatores, conciones III. ex Iona propheta. De vero Christianorum sacrificio ex XIII. cap. epistolæ ad Hebræos. Latinè quoque edidit Apodixim, qua

1552. (margin, beside "Sequitur iam annus")

ostendit ecclesias Euangelicas, neq; hæreticas, neque schismaticas, sed planè orthodoxas & catholicas esse. Amisit autem hoc anno non absque ingenti mœrore fidum collegam Otthonem Vuerdmüllerum, virum solidè doctum, & verè pium, qui aliquando magno ornamento nostræ ecclesiæ futurus erat, si illi longior vita contigisset. Bello principum Germaniæ illustriss. Hessorum princeps è captiuitate liberatus & patriæ suæ restitutus est: is XXV. Decembris literas ad Bullingerum scribit,
1553. quæ IX. Ianuarij insequentis illi redditæ sunt. Mox XIIII. Aprilis denuò ad illum scribit, ac petit det operam vt Theobaldum Thamerum, si fieri posit, ab errore in viam reuocet: mittit verò cum Thamero Fridericum à Thann virum nobilem, qui actioni interfit. Bullingerus adhibitis alijs fratribus multis cum Thamero egit sed frustra. Impugnabat Thamerus doctrinam de fidei iustificatione, scripturæ auctoritatem eleuabat, ac scripturarum simplicem & grammaticum sensum non pluris faciebat quam vt Aristotelem scripturis æquaret: duo ponebat principia suarum disputationum Conscientiam & creaturam. Audierunt nostri illum placidè, & humaniter ad eius argumenta responderunt, ille contra adeò immodestè & ridiculè se iactabat & vociferabatur, vt plerisque videretur non satis mentis compos esse. Damnabat tum ex æquo Papistarum & Lutheranorum doctrinam, & nullum fidei dogma rectè ab illis tradi asserebat, postea tamen ad Papistas defecit. Scripsit hoc anno Bullingerus libros IIII. De gratia Dei iustificante propter Christum, per solam fidem absque operibus bonis, fide interim exuberante in opera bona. Tractantur in his libris præcipua capita, de quibus in controuersia de iustificatione quæri solet, de Gratia Dei, de Redemptione per Christum, de Fide vera & indubitata, qua Christus recipitur, & quæ nobis ad iustitiam imputatur, quomodo hæc sola absque bonis operibus iustificare dicatur, de Operibus legis & fidei, adeoque de verè bonis operibus. Librum hunc Melanchton in publica lectione commendauit, & literis ad Bullingerum scriptis ei gratulatus est. Eo tempore Lugduni aliquot pij fratres in carcere detinebantur religionis causa, egere horum causam Geneuenses fratres & nostri ecclesiarum ministri apud Respublicas ciuitatum Euangelicarum

licarum Heluetiæ,& impetrauere vt pro illis intercederent: sed Cardinale Turnonio vrgente illorum damnationem, intercessio nihil profuit. Cæterûm sicuti hi insontes supplicio affecti sunt: ita eodem tempore meritas blasphemiarum pœnas luit Michael Seruetus. Coniecerat hunc in vincula amplissimus senatus Geneuensis reipublicæ, atque causam illius ad Helueticas ecclesias retulit, quarum communi sententia impietatis & blasphemiæ damnatus est. Historia à Caluino descripta publicè extat. Iulio mense die nona Mauritius Saxoniæ dux elector prælio congressus cum Alberto marchione Brandeburgico, & victoria potitus, triduo post ex vulnere obijt: eodem mense sexta die Serenis. Angliæ rex Eduardus VI. incredibili omnium bonorum dolore, & ecclesiæ incomparabili damno obijt: successit illi in regno Maria soror ex Hispana matre nata, quæ formam religionis ab Eduardo institutam mutauit, & regnum Angliæ denuò Romano pontifici subiecit, atque eos qui veram religionem profitebantur, acerrimè persecuta est: itaque multi viri nobiles, multi etiam doctrina clari in Germaniam, ac sequenti anno complures in Heluetiam venere, ac Tiguri pecu- 1554.
liare collegium instituerunt, plurimùm eos adiuuante Bullingero, qui cum ante Henrici VIII. temporibus cum Anglis amicitiam contraxisset, hoc tempore arctius illis coniunctus fuit. Vsi sunt tum illius consuetudine familiariter, Ioannes Parkurstus, Ioannes Iuellus (qui tamen biennio post Tigurum venit) Robertus Hornus, Iacobus Pilkintonus, Ricardus Chamberus, Thomas Leuerus, Laurentius Humfridus, Thomas Spenserus, Michael Renningerus, Thomas Benthamus, Guilielmus Colus, & alij plures. Nobilissimi quoque & clarissimi viri D. Ricardus Morisinus, D. N. Carus, D. Ioannes Checus alijque plures eum Tiguri inuisentes amicissimè salutarunt, & de multis rebus sermonem cum ipso contulerunt. Locarni ad lacum Verbanum collecta fuit hoc tempore piorum studio mediocris fidelium ecclesia, sed quoniam eius loci imperium ad 12. pagos Heluetiorum pertinet, Septem ex his qui se Catholicos nominant, cœperunt agere de pœna horum qui à Romana ecclesia defecissent, & illis capitis supplicium comminabantur, cæteri se opponebant, & existimabant eos non habere ius

animaduertendi in ipſos nomine religionis, propterea quod in conuentione pacis publicæ religionis libertas concedatur, illi contra exiſtimare nihil ad hos pertinere: agitata eſt hęc res com pluribus Heluetiorum conuentibus, tandem ſequeſtri ita controuerſiam compoſuere, vt omnes qui nollent Romanam religionem profiteri, Locarno ſaluis ſuis omnibus facultatibus emi grarent. Huic ſententiæ vt ſubſcriberent Tigurini nunquam adduci potuere, attamen quia ſuffragiorum numero vincebant
1555. aduerſarij, ſequenti anno in exilium eiecti ſunt ſupra centũ homines religionis cauſa, quorum plerique Tigurum, nonnulli Baſileam aut ad Ræetos abiere. Laborauit multum ac diu Bullingerua cum cæteris miniſtris, vt eccleſiam in finibus Italiæ conſtituerent, neque illis in hac re ſtudium magiſtratus deerat: ſed pontificij omnem lapidem mouere vt hoc impedirent, atque vt creditur non abſque inſtinctu pontificis cui letale vulnus videbatur, ſi cogeretur libertatem religionis & eccleſiam Euangelicam tolerare in ipſa Italia. Poſtquam verò Locarnenſium complures Tigurum venerunt, cum Germanicæ linguæ vſum nullum haberent, ne verbo Dei deſtituerentur, peculiaris eccleſia ipſis conceſſa fuit, & honeſto ſtipendio à magiſtratu oblato Bernardinus Ochinus Senenſis Tigurum vocatus eſt, vt eccleſiam Italicam adminiſtraret. Receptus autẽ eſt in miniſtrorum ordinem ea conditione vt noſtræ confeſsioni ſubſcriberet, & legibus atque ſtatutis ſynodi pareret, quod vltro & libens fecit, & ſibi eccleſiam Tigurinam à multis annis præ alijs placuiſſe aſſerebat, præterea confeſsione fidei facta ſeſe ab Anabaptiſticis alijsq́; peruerſis opinionibus alienum eſſe teſtabatur. Quare cum talis tum eſſet aut haberetur, Bullingero præ alijs charus fuit, quem etiam nato ſibi infante teſtem in Baptiſmo adhibuit. Diximus ſupra de Conſenſione Caluini & Tigurinorum in re ſacramentaria, quàm grata fuerit multis viris bonis, ſed contra homines quidam turbulenti eam nullo modo ferre poterant, inter alios Ioachimus Vueſtphalus denuò bellum ſacramentarium editis libris inſtaurauit, in quorum vno nominatim Conſenſionem hanc vellicat, ſunt & ab alijs libri editi in quibus noſtri acerbè perſtringuntur. Quare Ioannes Caluinus defenſionem Conſenſionis ſuſcipiens, librum edidit hoc titulo, Defenſio ſa-

sio sanæ & orthodoxæ doctrinæ, de sacramentis eorumque natura, vi, fine, vsu & fructu, quam pastores & ministri Tigurinæ ecclesiæ, & Geneuenses ante aliquot annos breui consensionis formula complexi fuerant. Quoniam verò Consensio edita fuit communi ecclesiarum consilio, hoc quoque scriptum à Caluino priusquam ederet, Bullingero & nostris missum fuit, ac postea Tiguri addita Bullingeri epistola excusum est, cum prius etiam id Geneuæ excudisset Crispinus. Paschalibus ferijs sequentis anni Conradus Pellicanus sacrarum literarum Hebraicus professor in schola Tigurina, ad dominum migrauit, hic inter primos in Germania Hebream linguam didicit & docuit, & Capnionem in conficiendo Lexico iuuit, tum adhuc Franciscani ordinis monachus, in quo vitæ genere socium & discipulum in studijs habuit Sebastianum Munsterum, clarissimum Hebreæ linguæ doctorem. Docuit Tiguri annos XXX. non minus vitæ integritate & morum suauitate quàm doctrina omnibus charus & venerandus. In eius locum succesit Petrus Martyr Vermilius, quo nescio an alium Bullingerus chariorem habuerit. Coniunxit eos non tantùm summa in omnibus doctrinæ partibus consensio, sed quædam etiam morum & vitæ similitudo. Cum enim ambo essent summi viri, tanta tamen erat vtriusque modestia & humanitas vt alterum sibi præferret: erat in Martyre magnum acumen in enucleandis grauissimis quæstionibus, singularem habebat gratiam siue in schola disputandum siue docendum esset: Bullingerus plurimùm pollebat in administratione ecclesiæ siue esset concionandum, siue agenda publica aliqua ecclesiarum negotia, cuiusmodi multa deliberanda etiam ab exteris ecclesijs proponebantur. In vtroque fuit singulare perspicuitatis & simplicitatis studium, & quamuis doctissimi essent, spinosas tamen & inutiles quæstiones, quibus multi ad ostentationem ingenij delectantur, cane & angue peius oderant. Par etiam fuit in vtroque humanitas & comitas sermonum erga domesticos & peregrinos, quos salutantes, & de rebus dubijs interrogantes libenter admittebant, & illis promptè respondebant. In conuictu vterque frugalis & temperans, sed hilaris & iucundus gratusque omnibus qui cum ipsis ver-

1556.

ſarentur: quod ſemper aliquid commemoraret quod delectare ſimul & iuuare poſſet. Cæterùm hoc anno qui nobis tranquillus & pacatus fuit, hæc à Bullingero in publicum edita ſunt, Apologetica expoſitio, qua oſtenditur Tigurinæ eccleſiæ miniſtros nullum ſequi dogma hæreticum in cœna Domini, libellis quorundam acerbis oppoſita, & ad omnes ſinceram veritatem, & pacem amantes Chriſti fideles placidè ſcripta. Quoniam verò in hoc libro controuerſiam Euchariſticam modeſtè abſque vllis conuicijs diſceptat, plurimi id legêre, quos petulantia & immodeſtia Vueſtphali, Heshuſij & aliorum offendebat, & multorum reſponſiones his oppoſitas nimis quoque acerbas putabant. Deinde, Compendium Chriſtianæ religionis, in quo ſimplex & breuis ſumma fidei noſtræ ex verbo Dei petita traditur, idque abſque omni contentione & conuitijs. Tertiò, Homiliæ centum in Apocalypſim Ieſu Chriſti, reuelatam quidem per angelum Domini, viſam verò & exceptam atque conſcriptam à Ioanne Apoſtolo & Euangeliſta. Hunc librum pro publica concione cœpit interpretari anno 1554. ſed hoc demum anno finijt, & ſequenti anno conciones Latinè ſcriptas in publicum edidit.

1557. Annum hunc Bullingero lugubrem fecit mors amiciſsimorum hominum, Ioannis Rodolphi Lauatheri conſulis Tigurini, & Petri Simleri, coluerat cum his amicitiam annos plus quam triginta, & amborum filij ipſius filias duxerant: adhæc Lauatheri mors, qui ſummum dignitatis locum in noſtra republica obtinebat, non tantùm ob priuatam coniunctionem, ſed propter ipſam rempublicam, quę optimo ciue & prudentiſſimo fortiſsimoque conſule orbata erat, triſtis & luctuoſa fuit. Conatus eſt etiam hoc tempore quidam monachus noſtros cum Heluetijs committere. Vixerat hic in cœnobio Præmonſtratenſis ordinis Ruti dicto, & tempore reformationis cum alijs habitum abiecit, in cœnobio tamen permanſit, miniſtris verbi ſemper infenſus, vtcunque id diſsimularet: poſtea neſcio qua ſpe inflatus hoc demum anno è cœnobio & agro Tigurino Raperſuilam profugit, & illic Miſſam primùm celebrauit: inde profectus ad Heluericos pagos Pontificiæ religionis, petebat vt ſibi adeſſent quò noſtri cœnobij reditus ipſi darent: ve-

rùm

rum cum pauciora spe sua obtineret, neque eos quos sperauerat honores apud suos consecutus fuisset, miserè tandem perij, & manè in fœdo loco domus suæ mortuus repertus est. De morte eius varię hominum coniecturæ & suspiciones fuerunt. Non minus tristia ex alijs locis afferebantur. Vuormatiam conuenerant præcipui Germaniæ theologi ad colloquium, de componendis controuersijs religionis tractaturi, sed dum quidam primò omnium nostros damnari volunt, & actionem ab anathematismis ordiuntur, inter ipsos schisma ortum est, & ita Papistis seipsos ridendos propinantes re infecta discesserunt. In Gallia Henricus Rex fratres quos Valdenses vocant, crudeliter persequebatur: deinde Lutetiæ intercepto cœtu piorum qui in vico Iacobæo ad celebrandam cœnam Domini conuenerant, persecutio sæuissima orta est. Miserunt ad senatum nostrum legatos ecclesiæ Geneuensis & Neocomensis, quorum causam egit Bullingerus atque effecit, vt hoc anno bis à nostris legati ad Regem in Galliam missi fuerint, idem impetratum fuit à principibus Germaniæ, atq; ita accedentibus alijs etiam causis tempestas hæc ad tempus quieuit. Gerebant tum temporis bellum Rex Gallus & Papa Romanus cum Cæsare, oppugnante Papa Columnios, Hispano contra illos defendente. Libet autem hic paucis, causas & euenta bellorum quæ annis circiter vndecim maximi monarchæ gesserunt commemorare, vt etiam ab ipso Bullingero adnotatæ sunt, vt eo diligentius pij homines admiranda in his Dei iudicia expendant. Primùm igitur singulari Dei beneficio lux Euangelij pluribus annis Germaniæ fulsit, sed nostri ingrati Deo fuere ob immensum hoc beneficium, neque vitam Euangelio conformem instituêre, quare Deus graui bello Germaniam afflixit anno M. D. XLVI. Ac Cæsar fœdere inito cum Paulo III. PP. miris artibus Germanos inter se disiunxit, atque non tantùm ex Germania militem quo contra communem patriam vteretur conscripsit, sed principes aliquot magni nominis & præcipuas Germaniæ vrbes sibi coniunxit. Papa X. millia illi auxilio misit Ingolstadium, atque ita auctis copijs Cæsar victoria potitur, & principes Saxonem atque Hessum in suam potestatem redigit. Cæterùm hi duo principes antea Henricum Brunsuicensem capita-

lium criminum & quidem horrendorum facinorum reum peregerant, sed cum hunc in suam potestatem redegissent, nunquam in eum animaduerterant. Victoria potitus Cæsar conuentu Augustæ indicto eo adducit principes captiuos, vt omnibus spectaculo essent, Deinde edictum de religionis noua formula INTERIM dictum Germanis obtrudit, quod cum quidam reciperent, alij id facere nollent, graues dissensiones inde ortæ sunt, & multò maiora scandala & blasphemiæ aduersus veram doctrinam. Iisdem comitijs Mauritius Saxo solenniter creatus est elector Rom. Imperij. Magdeburgum celebris Saxonum ciuitas, quæ se Cæsari opposuerat, obsidetur & oppugnatur, id bellum artibus Cæsaris inducti Germani principes gesserunt, Saxo, Brandeburgicus, Mechelburgicus. Simul quoque Concilium Tridentinū renouatur, cuius munus erat damnare Euangelicam doctrinam: Cæsar vt sua vicinitate patrum animos confirmaret, Oenipontem abit, & nihil restabat nisi vt extirparetur doctrina Euãgelica. Ecce verò interea Magdeburgi pax fit, Rex Gallus, Mauritius Saxo, Albertus Brãdeburgic⁹, & Hessi filius Vuilhelmus fœdus inter se faciunt ad asserendam oppressam hactenus Germaniȩ libertatem, & captiuos principes liberandos: mox copijs instructi principes Augustam proficiscuntur, & deinde Erebergo expugnato & captis alpium faucibus Cæsarem in fugam conijciunt, vt Oeniponte ad Carnos vsque profugeret. Atque hic fuit finis amicitiæ Cæsaris cum his principibus, qui eum paulò ante in opprimenda Germania iuuerant. Concilium quoque eodem bello dissipatum fuit. Potentissimȩ vrbes Germaniȩ Vlma & Neroberga, quȩ opibus suis bello Germanico Cæsarem iuuerant, à Brandeburgico grauiter afflictæ fuerunt. Postea cum principes exercitum Francofurtum duxissent, Mechelbergicus tormento ictus moritur: Mauritius cum Cæsare pace facta reconciliatur, id improbans Brandeburgicus episcopis malè mulctatis ad Regem Gallorum transit. Liberatis autē principibus captiuis Mauritius cum copijs aduersus Turcas proficiscitur: Brandeburgicus verò denuò episcopis & Norinbergensibus bellum infert, atque ita hi qui totius belli flabella fuerant, ipsi quoque belli participes facti sunt. Postea Cæsar ingentibus copijs Metensium vrbem obsidet, sed maxima pars

Germa-

Germanici militis frigore morbisq; perijt, pœnas luens oppugnatæ antea patriæ. Congrediuntur etiam inter se ipsi principes Saxo & Brandeburgicus, ac Mauritius in prælio vulneratus paucos post dies moritur. Postremò omnium à summo huius certaminis præside inter se committuntur Cæsar & Papa, & qui antea coniunctis viribus Germaniam conati fuerant opprimere, postea crudelissimè inter se pugnarunt : huic bello Papæ auctoritatem secuti Galli & Heluetij sese immiscuere, & grauem ipsi quoque in Italia cladem hoc anno accepere. His omnibus sequens annus coronidem adiecit mortem multorum magnorum principum, præcipuè tamen Caroli Imperatoris, qui resignato imperio & omnibus regnis, in Hispania priuatam quasi vitam instituens mortem obijt: deinde Mariæ Anglorum reginæ quæ Philippo Caroli filio nupserat: huius obitu res Anglicæ in melius commutatæ sunt, atque succedente illi sorore Elizabetha libertas puræ & sanę doctrinæ Anglis denuò restituta est, Papatu rursus proscripto & eiecto. Hoc anno Bullingerus edidit Sermones ecclesiasticos XXIIII. Festorum dierum Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi: in quibus plena ferè & continua habetur historia Domini nostri Iesu Christi, nempe Incarnationis eius, Natiuitatis, Circuncisionis, Reuelationis, Passionis & mortis, Resurrectionis ex mortuis, Ascensionis in cœlum, Missionisq; Spiritus sancti in apostolos: & explicatur quis inde ad nos fructus redeat, & quæ vicissim illi debeamus officia. Præmissa est his præfatio de Sabbatho & ferijs Christianorum. Additi item sunt duo sermones de Officio magistratus & subditorum, item de iureiurando. Edidit autem hos sermones duabus de causis, primùm vt gratificaretur multis ecclesiarum pastoribus & doctoribus qui sæpè hoc ab ipso petierant, quò sincerius in ferijs istis Christum prędicarent: deinde vt quorundam pontificiorum calumnias refelleret, qui dicebant apud nos plebem non edoceri plenè de historia Seruatoris nostri, & præcipuis eius operibus, item contumeliosè nos loqui de beata virgine. Hoc anno illustris princeps dux Vuirtenbergicus Christophorus edictum de religione promulgauit, in quo Zuinglianorum mentio fit, & ducatu pelli iubentur: quod plerique ab eo factum mirabantur, qui sciebant pa- 1558.

trem ipsius Illustris. ducem Huldricũ Zuinglium amasse,& eius consilio in rebus grauibus vsum esse, prӕterea Heluetijs & prӕsertim Tigurinis coniunctissimum fuisse: omnis tamen huius rei culpa in theologos quosdam deriuabatur. Superiori anno Pagi aliquot à Glaronensibus (qui & ipsi sunt pagus Heluetiӕ, in quo maior pars euangelium profitetur, reliqui Romanam religionem sequuntur) petierant vt ministros verbi è sua regione pellerent, & vbique in templis imagines aras & Missas restituerent, & ex pacto nescio quo eos teneri ad id contendebant: illi contra sibi religionem volebant liberam esse, neque illos imperandi sibi ius vllum habere, ac suas conscientias à nemine obstringi potuisse. Acta est hӕc controuersia vtrinque acriter, idq; aliquot annis, ac nonnunquam res ad arma spectare videbatur, semper tamen alij pagi Heluetiorum vt sequestres se interposuere, & tandem illam controuersiam sopiuere. Multum verò in hac causa laboris suscepit Bullingerus noster, quum enim Glaronensibus amicus esset, & paci atque tranquillitati Heluetiӕ vnicè studeret, sedulò hoc quӕrebat, vt salua religione controuersia componeretur. Infinitӕ literӕ, vt alios labores taceam, ab ipso in hac causa scriptӕ sunt: dum afflictos consolatur, & confirmat, dum hortatur eos ad perseuerantiam in professione verӕ fidei, dum illis suadet patientiam, & monet ne quid temerè moueant, dum eorum interrogatis respondet, & ipsis in rebus dubijs consulit, dum causam hanc alijs per Hel-
1559. uetiam commendat. Quoniam verò plerique motum aliquem metuebant, actum fuit anno altero qui est quinquagesimus nonus post millesimum quingentesimum, de fœdere Heluetico denuò sanciendo solenni iuramento, quӕ causa aliquoties mea memoria tractata fuit, sed nunquam decidi potuit. Pagi qui sunt Pontificiӕ religionis, petebant vt iusiurandum daretur & acciperetur non tantùm per Deum sed etiam per sanctos, id reliqui qui Euangelium profitentur, facere renuebant, quòd hoc fidei ipsorum contrarium sit. Erant autem in quibusdam locis viri politici qui censerent de hac re non esse litem mouendam, nam & illi qui verbis prӕit & iusiurandum dat non fieri iniuriam si per sanctos iusiurandum det Pontificijs, qui etiam in precibus se à sanctis iuuari petant: dari enim Iudӕo iusiurandum

iuxta ſuam fidem,& ea ratione qua ipſum obſtringit,idem quoque cum Papiſtis obſeruandum eſſe: quòd ſi noſtris ita detur iuſiurandum à papiſticis pagis, tamen eos non teneri vt verbis præeuntem ſequantur, ſed ſatis fore ſi omiſſa ſanctorum mentione ipſi ſolius Dei nomine iurent. Fuit igitur miniſtris eccleſiarum laborandum, vt populũ diligenter de hac re edocerent, id quod Bullingerus diligenter præſtitit, non tantùm Tiguri vbi minus periculi erat ne quicquam tale noſtris perſuaderetur, ſed alibi etiam per literas miniſtros eccleſiarum & magiſtratus admonens, ne puram fidei confeſsionem pollui paterentur. Docebat enim iuſiurandum eſſe inuocationis partem, quare ſicut non licet inuocare Deos alienos, neq; conuenit magiſtratui pio vt cultum alienorum Deorum in ſua ditione ferat aut inſtituat, ita idem de iureiurando ſtatuendũ quod non fit per vnius Dei nomẽ. Adducebat itẽ plurima ſcripturæ loca quibus ſeuerè præcipitur, vt iuſiurandum tantùm per vnius Dei nomen fiat. Exiſtimabat autem iuſiurandum per Diuorum nomen exigi à nobis ad comprobandã aſſenſione hac aduerſariorũ religionẽ: etenim non eſt diſerta cõditio fœderis, iuſiurandum hoc modo concipiendum eſſe, ſed tantùm prȩcipitur fœdus ſanciendũ iureiurando, & eius fit mentio tali formula quæ tum maximè in vſu erat: atq; formam iureiurandi non pertinere ad capita fœderis inde conſtat, quòd non vbiq; eadẽ ponitur in antiquis fœderibus. Quia verò vtriq; conueniunt in eo, iuſtũ & piũ eſſe iuſiurandum quod Dei nomine concipitur, hortabatur vt in eo conſentirent, & forma quæ vtriq; parti cõueniret vterentur, & more maiorum fideliter fœdera ſeruarent. Baſileæ hoc anno demũ cognitum fuit Georgium Dauidem fuiſſe illum, qui ficto alio nomine diu illic habitarat: itaq; poſt obitũ demum agnitus fuit, & eius hæreſi detecta publico iudicio damnatus eſt, de qua re Baſilienſium ſcriptum extat. In Gallia perſecutiones ſæuas hactenus aduerſus fideles exercuerat Henricus Rex, veruntamen ſæuiores imminebant eccleſiæ: pace enim cum Hiſpano facta & nouis nuptijs confirmata, omnia paratiſsima videbantur ad opprimendos fideles, verùm Rex ipſe in ludis equeſtribus fragmento haſtæ in capite vulneratus paulò pòſt obijt, & morte ſua conſilia iam inita euertit. Non poſſum præterire iudicium

Domini quod eodem tempore in Heluetia vidimus. In vrbe Heluetiæ non obscura, consul eius ciuitatis, vir opulentus & potens ædes regali luxu ædificabat, euocatis aliunde artificibus, inter alios quendam Tridentinum sculptorem & latomum excellentem conduxit, erat is religionis perquàm studiosus & amans, & ideò suam operam illi locare noluerat, dicens se diuersam religionẽ amplecti, nec posse tutò in eo loco laborare quoniam à sacris ipsorũ abstineat. Ille contra pollicebatur nullum illi periculum fore, ac se religionem liberam ipsi relicturum. Sed cum diu illi inseruijsset, & mercedem sui laboris postularet, quædam inter illos contentio orta est, ac iussu domini in carcerem coniectus fuit, & ab eodem accusatus quòd ad vsitata Pontificiorum sacra non accederet, & quædam contra ipsorum religionem locutus fuisset, capite damnatus fuit. Cum autem ad suppliciũ abduceretur, hilari fronte, animo forti & constanti mortem subijt, coram omnibus testatus sese libenter pro fide sua quam veram esse nosset mortem subiturum, consulem tamen qui mortis suæ auctor fuerit, se intra triduum secuturum, & iudicio domini sistendum. Atque ita accidit, consul enim qui adhuc in flore ætatis erat, & firma valetudine vtebatur, illa ipsa die subitò modò æstuare modò frigere, & nouo nescio quo morbo confligi cœpit, atque ita ante tertiam diem Ioannem Tridentinum subsecutus est. Fuerat hic Tridentinus notus & familiaris Bullingero, & sæpe cum eo de religione collocutus est: & ante multos annos cum melancholia quadam laboraret, & sibi persuasisset se Heliam esse, Bullingerus amica admonitione eum ab hoc errore abducere conatus est, nec parum profecit, eius enim consilium secutus, domi se continens & medicorum consilio vsus optimè conualuit, & phantasias illas omnes abiecit, atque ob hanc causam hoc loco exitum eius annotare volui. Habet autem nostra ætas multa huiusmodi exempla iudiciorum Domini contra truculentos tyrannos & piorum hostes, sed ea est stupiditas nostri seculi vt pauci hæc obseruent, paucissimi ex obseruatione horum solidum fructum confirmationis fidei & veræ resipiscentię percipiant. Papæ etiam diligentia in damnandis libris hæreticorum hoc loco annotanda est, qui præter superiora edicta nouos catalogos hæreticorum Romæ

hoc

hoc anno edidit, quibus multa Patrum ſcripta tantummodò quòd ab Eraſmo recognita fuiſſent damnata ſunt, multi etiam libri, vel propter præfationes noſtrorum hominum, vel quia in Euangelicis vrbibus Germaniæ excuſi fuiſſent, in hunc catalogum relati ſunt: tantus autem bonorũ librorum numerus damnatus fuit à Pontifice, vt multi profeſſores publicè in Academijs Italiæ, conquererentur ſe legere non poſſe, ſi edictum hoc ratum maneat, Scripſere tum Francofurtenſes, & noſtri quoq; ac præterea aliæ quædam Germaniæ vrbes ad ſenatum Venetum, eumque hortati ſunt ne hoc edictum, quo mutua librorum commercia tollantur, recipiat. Sub initium huius anni Angli qui religionis cauſa paſsim per Germaniam exulabant, in patriam rediere, inter quos, etiam hi qui vt ſupra diximus Tiguri vixerant, domum reuerſi ſunt. Ac tum rurſus cœpere eccleſiæ Euangelicæ reſtitui in Anglia, non tamen abſque magno & difficili labore, ſumma quoque Papæ indignatione. Annus qui iam ſequitur, CIↃ IↃ LX. luctuoſus fuit omnibus literatis, propter mortem Philip. Melanchtonis, qui vnicum literarum decus & totius Germaniæ ornamentum, hoc anno è viuis exceſsit, decima nona Aprilis. Præceſſerat eum Ianuarij 8. vir Clariſsimus Ioannes à Laſco. Hic nobiliſſ. familia in Polonia natus, Tiguri à Zuinglio ad agnitionem Euangelicæ veritatis conuerſus eſt, & quoniam in Polonia nulla tum erat religionis libertas, maximam vitæ partem in Friſia & Anglia tranſegit, vbi & eccleſias ſanctiſsimè prudentiſsimeque rexit, & Anabaptiſtas, quorum multi erant in his locis, doctiſsimè confutauit, poſtremò autem vitæ ſuæ tempore in patriam reuerſus, renaſcenti illic eccleſiæ plurimùm authoritate, ſtudio & opera profuit. Vtriuſque obitum magnæ turbæ in eccleſia ſequutæ ſunt non alienæ ab inſtituta noſtra narratione, quoniam inter alios Bullingerum quoque multum exercuere. 1560.

In Polonia enim Franciſcus Stancarus eccleſijs magis inſultare cœpit, docens Chriſtum tantùm ſecundum humanam naturam mediatorem noſtrum eſſe, atque ita diſſerens de Chriſti naturis, vt eas non tantùm diſtinguere, verùm etiam ſeparare pleriſque viſus fuerit. Adiunxerunt ſe noſtris in Stancaro oppugnando Itali homines, qui dum ſimulant ſe Neſtorianiſ-

mum oppugnare, Tritheitarum & Samosatenij dogmata in Poloniam introduxere, inter hos primum locum tenent Valent. Gentilis & Georg. Blandrata medicus, in quo recipiendo, vtinam non tàm facilis & benignus fuisset Lascus, non ita nunc blasphema dogmata publicè spargerentur, præsertim cum impietatis suæ indicia alibi prodidisset: sed facile fuit versuto medico bonum virum, & qui ex seipso alios æstimaret, fallere: simulabat enim Blandrata magnum religionis studium, & si quid de his rebus disceptaret, tantùm discendi studio à se fieri dicebat. Itaque non difficulter à Lasco impetrauit, vt locum in ecclesia haberet, sed ipsum cum alijs viperam in sinu fouisse, euentus docuit. Exercuerunt vt dixi hæ controuersiæ non tantùm Polonos, verumetiā Caluinum, Bullingerum, & reliquos nostrarum ecclesiarum ministros, qui libris editis, literis etiam publicè & priuatim scriptis, iuuerūt ecclesias Polonicas, & hæreses nascentes detexerunt & confutarunt. In Saxonia verò post Phil. obitum, Flacciana factio altius cristas erigere, & omnes à se dissentientes publico iudicio damnare conata est: huius factionis Coriphæi libellis editis, & literis ad principes quosdam missis, diu multumq; laborarūt hoc anno, vt Synodus aliqua publica indiceretur. Fuisset autē hoc ipsorum institutū pium & laudabile, si ex animo concordiam ecclesiarum & sanctam ac liberam Synodum quæsiuissent: Verùm nolebant in hanc Synodū admitti nos, quos Sacramētarios vocant, neq; Schuenckfeldianos, Osiandristas, aut alios iam antè à se damnatos, sed tantùm audiri volebant eos qui sunt Augustanæ confessionis, & de eorū controuersijs pronuntiari, vt anathemate feriantur, quas Synodus improbauerit. Hæc eorum publica & priuata scripta, illustris quidam Germaniæ princeps Bullingero misit, eius iudiciū de his requirens: Respondit ille copiosè, & primùm omnium quod ad nostras ecclesias attinet, ostendit nobis fieri insignem iniuriam, si à Synodo nostrę ecclesiæ excludantur, tanquā dudū damnatæ, cùm nunquā causa legitimo iudicio cognita damnatę sint: nam damnationes illas paucorū hominum non debere valere, posse enim nos similiter obijcere, Saxonicas ecclesias à nostris damnatas esse, quæ nō pauciores neq; ignobiliores sint Germanicis ecclesijs: ipsorum quoq; Ihenensium doctrinam dudum

confuta-

confutatam esse à viris doctrina & pietate, Clarif. Obijci ab ipsis Buceri reuocationē, nos contrà eius exemplum adducere, qui post reuocationem hanc nunquā se opposuit in Anglia, vel R. D. Crammero Archiepis. Cantuariensi, vel P. Martyri amiciss. suis, qui disertè & cōstanter nostram doctrinā tradebant. Adhęc illorū colloquijs nos opponere frequentissimā Synodum, quæ Londini anno 1552. coijt, & nostram doctrinā de cœna disertè professa est, & realē corporalemq; corporis & sanguinis Christi in cœna pręsentiā reprobauit. In Germania verò nunquā hactenus de re sacramentaria in publica & legitima aliqua Synodo actum esse, sed tantùm colloquia quędam paucorum hominum instituta fuisse: quod verò obijciant iudiciū comitiorū imperialium, id nobis mirū videri, cùm sciant suam ipsorū quoq; doctrinam sæpè in comitijs damnatā fuisse: quòd si omnino audiendi non sunt, quos semel Lutherus damnauit, cur Illustris. princeps Hessorum colloquiū de hac causa Marpurgi constituit, ad quod etiā ipse Lutherus venit? Ad hęc vt maximè fuissemus damnati, non tamē consequitur nos eo loco nunc esse, vt in conuentibus Christianis nihil amplius nobiscū agi posit: Nouatianos enim fuisse damnatos, & tamen postea eorum epis. Agelium in concilium admissum: Arrium damnatū fuisse in Synodo Nicæna, & tamen nihilominus causam Arrianismi disceptatā esse Sardicæ, in quo cōuentu cùm Orientales adesse nollēt nisi excluso Athanasio & Paulo quos antè damnatos dicebant, eorum petitionem vt iniustā Occidentales reiecerunt: Donatistas quoq; olim damnatos fuisse, & tamen nihilominus in iudicijs & conuentib. ter postea auditos esse, multaq; alia huius generis illustria exempla cōmemorat. Ac ostendit Ihenensium Synodum parum differre à Papistico cōcilio, vbi Protestantiū legati nuper Tridenti neq; ad disputandum, neq; ad controuersias tractandas vnquā sunt admissi, nimirū quòd viderentur antea in habitis concilijs sæpè damnati: Item eos Donatistarū more tantùm eos pro fratribus agnoscere, qui vnà cum ipsis consentiant, Ecclesiamq; valdè in angustum detrudere, & ad numerū hominum benè paruum contrahere. Porrò quòd aiunt Ihenenses, se in sua illa Synodo solùm velle agere de Synergismo, Maiorismo, & Adiaphorismo, se mirari ait cur hos admittant, cùm si illis credendum sit, &

tres isti errores dudum sint damnati, & ideò non minus quàm Zuinglianismus iuxta ipsorum hypothesin, excludendi essent: sed non obscurum esse inquit quid istos potius incitet ad hos errores discutiendos, & à causæ nostræ cognitione contra arceat, primùm quòd arbitrentur se non posse tàm facilè in nostra causa consistere, atque in altera, aut breui tempore ipsam posse expedire. Deinde quòd animi ipsorum Domino Philip. Melanchtoni pię memoriæ parum sint propitij, quem vt viuum vexarunt, ita mortuum iam non patiuntur quiescere in Domino, virum alioqui de illis ipsis vtpote discipulis suis, & de bonis studijs, studiosisque omnibus optimè meritum, qui dum vixit laboriosissimus fidelissimusque in docendo fuit, prętere a mitis, benignus, pacis amans, & varia sanctaq; eruditione, moribusq; integerrimis, non tantùm Vuittembergensi scholæ, sed vniuersæ Germaniæ præluxit. Esto autem illi quoq; vt omnibus etiam sanctissimis hominibus sua vitia fuerint, longè aliud tamen præmium ab omnibus bonis promeruit, quàm quod feliciter mortuo iam ab ingratis discipulis rependitur. Sanctissimi patres veteris ecclesiæ & martyres Christi, suos quoque næuos habuerunt, nemo tamen vnquam in eos ita debacchatus est, vt Ihenenses in omnes eos debacchari solent, qui vel modicum à semel conceptis ipsorum opinionibus dissentiunt: Videri igitur bonos istos fratres modestia, & charitate Christiana destitui, & nimia quadam ambitione laborare, qua cupiant sibi asserere hanc gloriam, quòd cæteris deficientibus soli purum Lutheranismum retinuerint. Maiorismi nomen in nostris ecclesijs ignotum esse, de libero arbitrio & de adiaphoris non obscurum esse quid nostri sentiant: Ihenenses verò, qui adiaphorismum oppugnant, multa papistica in suis ecclesijs retinere, vestes pontificias, lucernas, imagines, priuatam quandam confessionem & absolutionem parum à papistica differentem, cur igitur hæc ferunt, si nolunt cum papa colludere? cur ista tollentes persequuntur? negare ipsos vbiquitatem corporis à se doceri & affirmari (etenim ab hac sententia tùm alienissimi videri volebant, in quam tamen postea plerique eorum concessere) sed nos mirari quomodo congruant per omnia, sicut se consentire affirmant, cum Lutheri & Brentij scriptis, qui vbi-

quitatem disertis verbis defendunt, sicuti & plerique alij Theologi Saxonici, si modò fides farragini Timanni habenda sit, nos itaque magis optare quàm credere eos à portentosa hac doctrina vbiquitatis, & curiosis disputationibus quæ ipsam consequuntur, alienos esse. Videri præterea Ihenenses nimium tribuere suæ synodo, dum ex illa pollicentur illustrissimis principibus omnia fore tuta & integra, pacem ecclesijs reddendam, & veritatem puram omnino restituendam. Nam ex historijs constat nunquam fuisse eam synodorum vim, vt prorsus lites tollerent, & ecclesijs restituerent integram pacem tranquillitatémque: vnde etiam sui temporis exemplis commotus Nazianzenus scripserit, se hactenus non vidisse vllius synodi vtilem finem, aut in qua res malè se habentes non magis exacerbatæ quam curatæ fuerint. Non tamen propterea nos dicere nullam omnino synodorum vtilitatem esse, conducũt enim, si legitimè celebrentur, cognoscendis controuersijs, quæ multos interdum latent. Id quod in primis optandum esset de causa sacramentaria, quæ natura sua facilis & aperta, longa altercatione & intertextis spinosis quæstionibus, apud multos inuoluta, in tenebris iacet, sed hanc commoditatem è sua synodo isti auferunt, dum de hac causa nihil penitus cognosci discuti aut disputari volunt. Optare quidem eos sibi dari pacatam ac tranquillam synodum, sed talem ipsis præsentibus sperari non posse, si modò iudicium faciendum sit ex prioribus ipsorum actis, & rebus Vuormatiæ gestis, & scriptis atque vociferationibus eorum contra pacificationem Francofurti à principibus institutam. Ipsos enim velle omnibus præiudicare, neque aliorum sententias, quæ vel minimum ab ipsorum opinionibus dissentiant, audire vel ferre posse, ideoque etiam vbi de iudicibus concilio præficiendis agunt, non se explicare, sed solùm concludere, postquam multum se torserunt, inuocato nomine Dei, facilè posse fieri vt idonei homines deligantur. Videntur autem inquit omnino existimare se, qui iam formam synodi celebrandæ præscripserint, absque dubio in numerum iudicum cooptandos esse, vt de cætero reliquos omnes ex alto despicere, & quoscunque visum fuerit anathemate ferire possint. Quoniam verò aduersarij ita atrociter in nos debacchabantur, vt plerisque iam persuasum es-

ſet nos non tantùm in re ſacramentaria ab ipſis diſſentire, ſed de reliquis quoque dogmatibus breuem ſummá doctrinæ Helueticarum eccleſiarum ſubijcit, & poſtea addit ex hac facilè colligi poſſe, nos non contemnere aut reijcere in vniuerſum confeſsionem Auguſtanam:non tamen omnia illius ſimpliciter approbare, neq; illi tribuere eandem cum ſcripturis authoritatem vt huic contradicere non liceat. Ac nominatim ait à nobis non recipi decimum confeſsionis articulum: Etſi enim quidam viri boni & pacis amantes,huius duritiem commoda interpretatione lenire voluerunt,alios tamen nolle admittere hanc interpretationem,ſed ex Apologia confeſsionis velle iudicium de ſenſu
" fieri : ibi autẽ ſcribitur,Decimus articulus à Cæſarea maieſtate
" approbatus eſt, Nos defendimus receptam in tota eccleſia etiam
" Romana ſententiam. Vnde apparet eo contineri papiſticam opinionem cum ſcripturis ſanctis & fide pugnantẽ. Cum autem huiuſmodi papiſticam doctrinam , annis aliquot priuſquam ederetur Auguſtana confeſsio,per Dei gratiam abiecerimus,nõ poſſe nos ipſam iterum recipere , ideoque ſtudio puræ religionis & ſynceræ confeſsionis coram Deo & ſancta eius eccleſia, nullo priuato odio aut affectu ſiniſtro,decimũ articulum hactenus non agnoſci à nobis, quatenus ex aduerſariorum interpretatione papiſticam doctrinam de Euchariſtia continet. Secundò cum miſſa per omnes Euangelicas eccleſias Heluetiæ abrogata ſit,ita vt nullum eius veſtigium vſquam appareat,non poſſumus , inquit , ſubſcribere verbis confeſsionis de miſſa.
" Falſò accuſantur eccleſiæ noſtræ quod miſſam aboleant , re-
" tinetur enim miſſa apud nos , & ſumma reuerentia celebratur,
" ſeruantur & vſitatæ ceremoniæ ferè omnes, præterquam quod
" Latinis cantionibus admiſcentur alicubi Germanicæ. Vbi hoc
" quoque approbare non poſſumus,retineri in ſacris publicis linguam plebi non intellectam. Notum enim eſt quid ea de re iudicet Apoſtolus 1. Corinth.14. Tertiò non poſſumus agnoſcere
" in confeſsione verba iſta: Confeſsio in eccleſijs apud nos nõ eſt abolita. Confeſsio enim auricularis cum priuata ſacerdotali abſolutione,iuſtiſsimas ob cauſas à nobis reiecta eſt,neq; vlla neceſsitas aut mandatum Dei vrget nos ad eius reſtitutionem. Quarto loco,poteſtas (inquit) in eccleſias & miniſtros eccleſia-

sticos apud nos erepta est episcopis papisticis, sed sub finem Augustanæ confessionis huius rei aliquid adhuc episcopis concedi videtur. Quare hac etiam in re ab illa declinare cogimur. Cum autē papistæ plurimum in his rebus spei collocent, & per hæc existiment, se aliquando in integrum restitui posse, cur Ihenenses quibus est religio cum papistis colludere, hæc ferunt? aut dissimulant? & potius in nobis vexandis laborant? Etsi igitur ait in his rebus dissentimus ab Augustana confessione, tamen modestè semper sententiam nostram proposuimus, & interim quantum fieri potuit pacem coluimus, ac nisi Lutherus reiectis omnibus pacis cōditionibus, publicum scriptū tale proposuisset quod dissimulare non potuimus, nisi ecclesias nostras & veritatē prodere voluissemus, nunquā peruenissemus ad pugnā publicā, & nunc quoq; libenter nos contineremus si liceret per aduersarios, ipsorumq; conatus & libellos aculeatos varios. Nō abhorremus à publicis cōuentibus, modò ad eos accedant talibus animis ex quibus spes aliqua consensionis appareat, neq; metuendum sit rebus magis turbatis à colloquio discedendum esse, ingenti cum exultatione cōmunium hostium & offendiculo infirmorum. Parati sumus ad reddendam rationem fidei nostræ iuxta præceptum apostolicum, & ideò Synodos & collationes æquas ac Christianas nō refugimus, sed cum Dominus nos liberarit à iugo Papæ & Romana tyrannide, non patiemur, adiuuante Domino, nos premi noua tyrannide eorū, qui sub prætextu Euangelij, ad primatū & dictaturā in ecclesia aspirant. Nolumus ergò excludi à cœtibus sanctorum, pro Ihenensium libidine & arbitrio, nolumus vocari ab eis tanquā rei indicta die, & quidē ad ipsos tanquam iudices & actores. Nolumus ipsos agnoscere in ecclesia Christi libera, dominos, pontifices, censoresq; & dictatores, qui omnibus præscribant, dictent, ac præcipiāt quòd libet. Si ideò tantopere se efferūt quod se ecclesiam Christi esse credunt, nos quoq; ecclesia Christi sumus, si existimāt se habere singulares ecclesias & dona præcellentia, habemus eadem (absit hic iactantia) & nos. Nos quoque ministri Christi sumus per Dei gratiam, sigillaque nostri legitimi ministerij, dubitantibus ostendere possumus. Cur itaque feremus insolens istorum imperium? Quòd si Synodus aliqua videtur cum fructu conscribi posse, consultent prius ea de re,

non pauci aliquot homines, odijs & altercationibus dediti, sed omnium ordinum præstantissimi quique, viri prudentes, pij, constantes, synceri, pacifici, ex principibus, Rebuspublicis, ex doctis, atque plebe etiam delecti, hi consilia conferant & statuant de loco, tempore, modo agendi, atque alijs huiusmodi, vt synodus legitima & pacifica haberi possit. Et hæc quidē ille, cùm suo tum publico totius ecclesiæ nomine respondit, quæ paulò copiosius commemorare volui, quoniam synodi nomen semper ferè iactatur in ecclesia, & omnes boni synodum exoptant ad componendas controuersias: vt illi admoneantur, ne sibi inani nomine fucum fieri patiantur: quoniam sæpè insolentes homines qui sibi imperium in ecclesias vendicare conantur, sua conuenticula, in quibus alios inauditos damnant, pro vera synodo venditant: diligenter itaque expendendum est, qui homines ad publicum conuentum conuocentur, & à quibus, quis locus, & quod tempus sit idoneū synodo habendæ: potissimùm verò, quo ordine & ratione vtatur in controuersijs cognoscendis & sententia pronuncianda. Sed iam omissa synodo ad alia pergamus. Sub finem huius anni pluribus locis per Heluetiam, cœlum arsit. Anno verò qui hunc sequutus est, Concilium Tri-
1561. dentinum à Pio IIII. Papa rursus est instauratū, ac permultę ea de re consultationes vbique agitatæ sunt: per Germaniam, principes & reliqui status Protestantiū id recusarunt: Idem fecere Angli, & Helueticæ vrbes Euangelicæ religionis. In Gallia colloquium de religione Possiaci institutum fuit, atque illuc abijt P. Martyr euocatus ab ecclesijs Galliæ, accepta à Rege fide publica, magnaq; spes à regina matre nostris fiebat reformationis alicuius instituendę: sed hæc omnia ficta fuisse res ipsa postmodum ostendit. In Polonia Georgius Blandrata suas opiniones apertius prodere, & ecclesias turbare cœpit, maximè autem omnium Caluinum accusabat & Bullingerum quoque, quòd hic ipsum audire & pacis conditiones cum Caluino quęrere noluerit. Ob hanc causam illustrissimus princeps & Dominus D. Nicolaus Radzuilius, dux Olicæ & Palatinus Vilnensis, Martinum Secouitium cum literis ad Bullingerum misit, & denuò de negotio Blandratæ & pacificatione cum Caluino egit. Respondit illi Bullingerus, Blandratam cum Tigurum venisset,

semel

semel tantùm secum collocutum esse, quo tamen colloquio facile animaduerterit illum non syncerè de filio Dei sentire, pacificationis verò nullam ab eo mentionē factam, sed tantum comminatum esse se contra Caluinum scripturum, cui ipse responderit, satis alioquin contentionum esse in ecclesia Christi, quas si ille pergat multiplicare, Deum fore vindicem: Illum verò dira minantem & imprecantem discessisse. Quòd si nunc Blandrata resipuerit, & agnoscat sanam & orthodoxam fidem nostram, ac profiteatur Christum patri coæternum & consubstantialem, nos sanè gaudere & Dominum orare vt ipsum in hac fide confirmet, si autem hæc confiteri nolit, & obscurè atq; inuolutè loquatur, cauendum esse Illustrissimo principi ne sub patrocinio pietatis ipsius, noceat puritati religionis veræ, & ecclesiæ Christi: habere celsitudinem ipsius in principibus aliquot Romanis euidētia exempla, qui vaferrimorum hominum Arrianismum spirantium blandiloquentia, assentatione & simulatione decepti, plurimùm obfuere ecclesiæ Dei, vbi maximè commodare nitebantur: pulcherrimam quidem esse fratrum concordiam, & Deum pacis Deum esse, sed tamen eum nolle propter concordiam perire synceram veritatem, nec approbare consensum cum hominibus qui in fide insynceri sunt. Agi hic non leuem causam, sed maximi momenti & salutis nostræ, si enim Christus Dominus non sit verus Deus patri per omnia coæternus & coæqualis, non posse ipsum esse caput ecclesiæ, seruatorem mundi & pontificem vniuersalem seculorū omnium, vinci ergo nos à Iudæis & Turcis, nostram quoque fidem inanem esse. Hæc se scribere magis propter rem ipsam, & dogma fidei purum conseruandum & asseruandum, quàm ad Blandratæ personam insectandum, neque enim se vllum priuatum odium aut offensionem aduersus illum habere, modò eundem nobiscum Christum syncero pectore confiteatur. Sed cum nuper Valentinus Gentilis impiam suæ fidei confessionem euulgarit, & publico scripto symbolum Athanasij petulanter oppugnarit, passim etiam vagentur impij illius Serueti discipuli, (quo homine secula aliquot impuriorem non tulêre) qui Arrianismum aliasque hæreses ab inferis excitare conentur, & quiduis sibi contra Deum & mysteria fidei permittant, diligen-

ter certè huiuſmodi homines obſeruandos eſſe, & omni cura proſpiciendum ne turbent renaſcentes eccleſias, eaſq; infament & corrumpant. Caluinus quoq; cui Blandrata notior erat, breue compendium hiſtoriæ illius miniſtris eccleſiæ Vilnenſis & Poloniæ minoris tranſmiſit: ſed apud pleroſque ita ſe Blandrata hypocriſi quadam, fallacijs & dolis inſinuauerat, vt admonitiones hæ parum profuerint, per ipſum enim & Valentinum Gentilem, Antitrinitariorum hęreſis plurimùm confirmata eſt. Poſtea tamen creſcente impietate ijſdem locis docuit, quod & adhuc in Tranſſyluania aſſerit, Chriſtum ſeruatorem eſſe tantùm merum hominem, itaq; euentus ipſe docuit ſaniores, quàm malè fecerint impium hominem poſt tot admonitiones fouendo. Domi verò Bullingerus hoc tempore amicum hominem, eccleſiæ & reipublicæ vtilem amiſit, Ioannem Habium, qui annis XVIII. Conſulatum in republica noſtra geſsit, & ab initio reformationis nulli neq; ſumptui neque labori pepercit in promouenda pura Euangelij doctrina. In eius locum ſucceſsit vir nobilis D. Bernhardus à Cham, cui Bullingerus hoc anno inſcripſit libros duos de Cõcilijs: quomodo ſcilicet Apoſtoli Chriſti domini in primitiua eccleſia ſuum illud concilium Hieroſolymis celebrauerint, & quanto cum fructu quantaq; pace: quomodo item Rom. pontifices à 500. & amplius annis ſua concilia celebrauerint, & quãto cum damno perturbationeq; fidelium. Alterum etiam librum tum edidit, cuius occaſione in contentionem & certamen cum D. Ioanne Brentio Vuirtenbergenſi Theologo nulla ſua culpa & præter opinionem incidit. Enarrabat tum publicè Euangelium Ioannis, cumq; perueniſſet ad caput 14. multorum rogatu euulgauit tractationem verborum domini: In domo patris mei manſiones multæ ſunt: qua demonſtrat ſpem ſalutemque fidelium certiſsimam eſſe, & cœlum in quod aſcendit Chriſtus, & in quod ſuſcipiuntur electi omnes, locum eſſe in excelſis certum. Agit etiam de dextera Dei & de vbiquitate vt vocant corporis Chriſti. Eodem tempore prodijt Ioannis Brentij liber, de vnione perſonali duarum naturarum in Chriſto, de aſcenſione eius in cœlos, & ſeſsione ad dexteram. Vult autem ex his probare veram & ſubſtantialem præſentiam corporis Chriſti in cœna, quando ea ſit ratio vnionis

personalis, vt vbicunque est diuinitas, ibi etiam sit humanitas ab illa assumpta. Ad hunc librum P. Martyr rogatu amicorum respondit, Dialogo edito, attamen tacito Brentij nomine, vt qui non cum homine sed cum causa dissideret. Differit autem de duarum in Christo naturarum vnione in vnam personam inseparabilem, quæ cum fiat saluis naturarum proprietatibus, ostendit humanam Christi naturam propter vnionem personalem non esse vbique: respondet etiam ad Brentij & aliorum argumenta quæ in hac controuersia obijciuntur. Antequam verò hic dialogus in manus hominum perueniret, editus est alter libellus à Brentio in quo suam sententiam de Bullingeri libro profert, idq; vt ipse asserit mandato principis: & etiã propter conscientiã suam, multasq; offensiones, se inquit dissimulare non potuisse quin Bullingeri sententiam de cœlo confutaret. In hoc autem libello eadem ferè habet, quæ & in altero illo priore, nempe vbicunque Christus est secundam diuinam naturam, ibidem etiam esse humanam eius naturam, propter personalem vnionem. Mirabantur autem multi Brentium non prouocatum à Bullingero, cum ipso in certamen descendere propter absurdum dogma de vbiquitate corporis Christi, quod tum plerique in ipsa Saxonia oppugnabant. Bullingerus cum bona conscientia non posset tacere ad damnationem doctrinæ suæ, ne dissimulando causam veritatis prodere videretur, respondit ad librum Brentij, atque ostendit sententiam suam de cœlo & dextera Dei, ex sacra scriptura & beatis patribus propositam aduersa Brentij sententia nequaquam esse euersam, sed adhuc firmam perstare. Seruat autem hunc ordinem. Primò respondet ad Brentij pręfationem, deinde agit de cœlo certa sede Christi Domini & beatorum in excelsis, non vbique diffusa: Mox de dextera Dei patris certo in cœlis loco. Hinc de vnione personali naturarum Christi, & quòd corpus Christi non sit vbique. Postremò tractat de cœna Domini, ostendens quæ fuerit veteris & purioris Ecclesiæ, & etiamnum Heluetiicarum Ecclesiarum de hac sentẽtia: quibusq; authoribus infœlix illud sacramentariũ dissidiũ cœperit. Edidit postea Brentius vehemẽtem & aculeatũ librũ, contra Martyrem simul & Bullingerum, 1562.

quem de maiestate Christi inscripsit, in quo nostros accusat quòd impugnent gloriã & maiestatẽ Christi, negent Dei omnipotentiã, cum tamẽ omnibus notũ sit, ita vt ne Brentius quidẽ ignorare posit, his contraria nostros docere. Sed quia videbat vbiquitatem portentosam plerisque videri, visum est alio nomine nouum dogma ornare, quasi verò Maiestas Christi in hoc posita sit, vt humana eius natura, amissa sua proprietate vbique existat vbi est diuinitas. Legit hunc librum Martyr, & indignabatur hominem Theologum adeò Sophisticè suam causam agere, veruntamen respondere illi quemadmodum constituerat, non potuit. Etenim 12. Nouembris huius anni ex hac vita ad Dominum migrauit incredibili dolore & iactura scholæ nostræ. Hoc anno, renouato Concilio Tridentino citatio concilij Tigurum missa est, qua vocantur eius vrbis concionatores, & illis mittitur fides publica, itaque cum non solùm domi hæc quæstio rursus agitaretur, sed pasim per Germaniam, & Illustrisimus princeps Hessorum de hac ipsa causa ter hoc anno ad Bullingerum scripsisset, denuò tractatum de recusatione Tridentini concilij confecit, qui tamen non est in publicum editus. Hoc anno cepit bellum Gallicum, quo veram religionem coniurati Papæ penitus excindere constituerant: quantas curas, labores & solicitudines id Bullingero nostro attulerit, malo prudentes viros ex ipsius rei magnitudine æstimare, quàm id meis verbis exponere. Initio sequentis anni Bullingerus respondit

1563. ad librum Brentij de Maiestate Christi, atque vt simpliciores, quos huiusmodi controuersiæ offendunt, aliquid vtilitatis inde perciperent, initio libri ostendit, quod nam sit fundamentum firmum, cui tutò quiuis fidelis inniti posit, hoc præsertim difficili sæculo, quo disidijs multorum & aduersarijs scriptis omnia conturbata sunt. Altera deinde libri parte Brentij sophismatibus breuiter & simpliciter respondit. Eodem tempore Bernardinus Ochinus Locarnensis ecclesiæ minister, à Senatu Tigurino in exilium missus est, hac de causa. Ediderat hoc anno Dialogos triginta Italica lingua, quos Sebastianus Castalio in Latinam linguam conuertit: In horum vno polygamiam asserere conatur; nondum visi aut lecti fuerant hi

dialo-

dialogi à nostris,sed fortè accidit vt quibusdam nostris senatoribus ab exteris obijceretur, Bernardinum edidisse librũ in quo hęreses doceat,& nominatim polygamiam defendat. Re ad Senatum delata vocantur Ecclesiarum ministri, & ab illis quæritur quales dialogos Ochinus ediderit, ab his respondetur se initio anni huius admonitos fuisse,Bernardinum Ochinum edere scripta quædam, quæ satius sit supprimi, ac se tum accessisse ipsum & commonuisse,vt memor sit datæ fidei,qua iureiurando promiserit se nullum nouum dogma publicaturum, quod non antea vniuersali Synodo nostrarum ecclesiarum,quæ quotannis bis habetur,examinandum proposuerit: præterea mandato magistratuũ illi parendum esse, ne quid edat in publicum quod non antea ab ordinarijs censoribus visum & approbatum fuerit. Nunc autem fama de his dialogis sparsa, se denuò illum accessisse & cum eo expostulasse,quòd fidelem ipsorum admonitionem spreuerit: Ipsum verò hac excusatione vsum,dialogos iam tum fuisse sub prælo, itaque se non amplius potuisse eorum euulgationem impedire. Quod dialogum de Polygamia attinet, disputari in vtramque partem,sed ita vt facilè appareat quonam ipse inclinet,præsertim cum ita concludat, & moneat eum qui plures ducere volebat,vt si non possit se continere,& vna contentus esse,sequatur instinctum spiritus in hac re. Addunt deinde de alijs quoque dialogis multos bonos viros per literas apud se conqueri,ideoq; se eosdem diligenter perlecturos esse, & daturos operam, quantum in ipsis est, vt puritatem doctrinæ & bonam famam ecclesię nostræ conseruent. Priuatim etiam cum Ochino, ante & post Senatus sententiam, diligenter egerunt, vt edito scripto aliquo suam sententiam de his quæstionibus disertè & orthodoxè explicaret, & graui scandalo ecclesiæ cuius author fuisset mederetur: verùm nihil ab eo impetrari potuit. Senatus verò hoc decretum tulit: Quoniam Ochinus contra leges & edicta Magistratuum librum publicasset, quem satius erat supprimi, & cuius nomine ecclesia & Respublica malè audit,ideò se velle & iubere, vt quamprimùm ex vrbe & agro Tigurino discedat. Ochinus antequam discederet,per communes amicos literas commmendaritias petebat à Bullingero,respondit ille, se casum Ochini, cùm propter ipsius senectam, tum

propter liberos dolere: verùm quia ab alijs inquietis hominibus se, vt ipse existimet, huc adduci passus sit, vt praua dogmata & offensionis plena euulgaret, Senatum non potuisse aliter agere, quàm quemadmodum fecerit, ac nunc quidem reliqua dogmata nondum esse examinata, quod tamen breui etiam futurum sit, itaque se Bernardino significare, quòd nequaquam in his dogmatibus cum illo consentiat, sed illa iudicare erronea, perniciosa & plena offensionis, neque credidisse ipsum post confessionem à se factam, & iusiurandum datum, quicquam tale tentaturum. Quare cum nostram & Locarnensium ecclesiam turbarit, se non posse salua conscientia & saluo honore ipsi literas dare, ac bonis viris & ecclesijs ipsum commendare, quibus postea negotium facessat. Ochinus verò Tiguro discedens Basileam primùm venit, atque illic petebat, vt ministri ecclesiarum & professores à Senatu impetrarent, vt sibi illìc habitare liceret. Interrogatus autem à quibusdam, quænam esset ipsius sententia de dialogorum capitibus, respondit se de omnibus cum ipsis sentire, quare eum hortati sunt vt retractationem scriberet, qua suam sententiam verè & ex animo rectéque exponeret, vt ita & Tigurinæ & Basiliensi ecclesiæ satisfaceret, & suam existimationem labefactatam repararet. Ille his auditis recepit se ita facturum, quoniam sic ipsis videatur, modò Basileæ cum liberis hyemare posit. Senatus verò Basiliensis audita doctorum sententia de dialogis Ochini, simul & ipsius postulatione respondit, de dialogorum volumine & ignominia qua vrbem suam affecerit, quòd hinc turpissima sua dogmata diuulgari curauerit, alio tempore consultandum fore, nunc verò se omnino velle vt Ochinus vrbe exeat, nec vllum ibi locum habeat, nisi magistratui Tigurino & ecclesiæ suæ reconciliatus fuerit, proque ea nota qua ipsos affecerit satisfaciat. Itaque senex, miser magis quàm miserabilis inde discessit, in Poloniam abiturus oblata itineris commoditate. Ferunt eum dum Schaphusium transiret, incidisse illic in Cardinalem Lotharingum suasque ipsi calamitates exposuisse, quòd nunc exulare cogatur Dialogorum suorum gratia, quos se non alio animo scripsisse affirmabat, quàm vt triginta hasce veritates, quas in sacra nostra religione obseruasset, creditu difficiles, ab aduersario-

rum

rum calumnijs assereret, ac vindicaret: simul oblatis aliquot Dialogorum exemplis, rogasse Cardinalem vt eos legere dignaretur: Ad quæ Cardinalem respondisse ferunt, se quidem inspecturum, sed vbi non placuerint, mox combusturum: adiecisse his Ochinum, se longa ista sua peregrinatione obseruasse 24. errores in nostris ecclesijs, ac pollicitum esse de hisce facilè conuicturum Euangelicas ecclesias. His siue ludens siue seriò agens respondit Cardinalis, nimium esse 4. vt maximè viginti non adijciat. In Poloniam cum peruenisset, dicitur palam illic oppugnasse hypostasim spiritus sancti, sed nec illic ei diutius consistere licuit. Quare se in Morauiam ad Anabaptistarum conuenticula recepit, & illic obijt. Castalio quoque Dialogorum interpres hoc ipso anno Basileę ex hac vita migrauit, prius quam senatui petenti rationē susceptæ translationis reddidisset.

Sequentes duo anni propter domesticas calamitates Bullingero admodùm lugubres fuere. Anno enim 1564. pestis atrox & sæua vrbem nostram inuasit, quæ etiam Bullingerum ipsum corripuit, idq́; tam grauiter, vt omnes de vita eius desperarent. Ipse quoq; vocatis ad se ecclesiæ ministris, illis valedixit, eos sui officij graui oratione admonens, ac postea seipsum asiduis precibus deo cōmendans, in singulas ferè horas exitum ex hac vita expectabat. Sed singulari Dei beneficio, piorū precibus donatus & ecclesiæ suę restitutus est, & cum antea morti proximus crederetur, illa ipsa hora qua frequentisimus cœtus die dominica conuenerat, paulò melius valere & quasi reuiuiscere cœpit. Veruntamen eodem morbo vxorē amisit, & de filiabus vnam, Ludouici Lauatheri coniugē, ipse interim & morbum, & mortem suorū tanta constantia pertulit, vt vltrò eos qui ipsum plurimi quotidie visendi & consolandi causa accedebant, cōfirmaret, & scripturarū testimonijs corroboraret. Prius tamē quàm in morbum incideret, respondit denuò Ioan. Brentio. Is initio huius anni vehementisimum librum contra Bulling. ediderat, quem inscripsit Recognit. prophet. & apost. doctrinæ, de vera maiest. D. N. Iesu Christi ad dexteram Dei patris sui omnipot. In hoc scripto ijsdē ferè argumētis quib. antea vsus fuerat, sed tamē paulo aliter fucatis, vbiquitatē humanæ naturę in Christo asserit. In fine etiam probare vult Zuinglianos ipsorum sententiā de cœna 1564.

Domini mala conſcientia oppugnare, non autem alio argumento nititur, quàm quod hactenus cōcordiam & pacem cum ipſis facere ſtuduerint. Huic libro Bullingerus breuem reſponſionem oppoſuit, qua vniuerſæ vetuſtatis orthodoxam de hac re doctrinam, totiusq; diſputationis ſummā complexus eſt, ideoq; eam inſcripſit hoc titulo, Repetitio & dilucidior explicatio conſenſus veteris orthodoxæ Catholicæq; Chriſti eccleſiæ, in doctrina prophetica & Apoſtolica, de inconfuſis proprietatibus naturarum Chriſti Domini, in vna indiuiſa perſona permanentibus, adeoq; de veritate carnis Chriſti ad dexteram Dei patris in cœlo ſedentis, & non vbique præſentis. Ac altera parte huius libelli perſtringitur vltimus ille Ioan. Brentij liber inſcriptus Recognitio. Edidit etiam poſtea Theodorus Beza vir doctiſsimus, egregium ſcriptum quo omnia ferè Ioan. Brentij argumenta, quibus carnis Chriſti omnipræſentiam nititur comprobare, modeſtè & placidè confutat. Proximus annus peſte denuò
1565. graſſante Bullingeri duas filias abſtulit, Zuinglij & Simleri coniuges, & Gualtheri vxorem, quibus domeſticis vulneribus non minor luctus acceſsit, ex morte doctiſsimorum virorum Conradi Geſneri, Ioan. Friſij, & Sebaſtiani Guldibeccij, quorum primus ſcriptis ſuis per orbem notiſsimus immortalem ſibi & patriæ gloriam peperit. Reliqui duo ludum literarium ſingulari eruditione, ſumma fide & diligentia rexerunt. Accumulato huic luctui nouus morbus acceſsit, calculi incredibiles cruciatus, quibus hoc primùm anno vexari cœpit. Inter tot tamē moleſtias, curas & ſollicitudines, inuicto robore nō tantùm docendo ſuum munus ſuſtinuit, verùmetiam hoc anno homilias in Danielem, quas ante initium peſtis incœperat, abſoluit & in publicum edidit, addita etiam epitome temporum & rerum ab orbe condito ad primum vſque annum Iothan regis Iudæ. In qua præcipuè attinguntur quæ pertinent ad ſacras literas illuſtrandas, & ad veram antiquamq; religionem, & eius certitudinem, progreſſum item, ac mutationē cognoſcendam, vnà cum 6. tabulis Chronicis à temporibus Iothan vſque ad excidium vrbis Hieroſolymorum, deductis, potiſsimùm pertinentibus ad
1566. expoſitionem Danielis prophetæ. Annus 66. poſt milleſimum quingenteſimum, alijs quidem celebris eſt propter mortem

Solymanni

Solymanni Turcarum Imperatoris, & nouos motus religionis causa in Belgico exortos, quorum finem ne hodie quidem cernere possumus: Nobis verò hac nota insignis est, quòd Confessio Heluericarum Ecclesiarum tum publicata est. Cum enim Theologi quidam inquieti & turbulenti non cessarent, multa de dissensionibus nostrarum ecclesiarum in vulgus spargere, & præterea nos criminari, quòd de nullo ferè dogmate fidei puram, & rectam fidem habeamus, existimarunt viri prudentes vtile fore, si cõmunis aliqua Confessio edatur, ex qua iudicium fieri possit de doctrina nostrarum ecclesiarum. Actum est ea de re primùm à Tigurinis, Bernatibus, & Geneuensibus. Scripserat autem superiori anno Bullingerus in gratiam Illustrissimi cuiusdam principis confessionem, in qua præcipua dogmata comprehendebantur, & certa quædam forma doctrinæ proponebatur. Hoc cum scirent quidam fratrum & audiuissent illam principi ad quem missa fuerat, ac viris doctis, plurimũ placuisse eam sibi ostendi petierunt, & postea cognoscendam & iudicandam Bernam & Geneuam misere. Qui cum & ipsi eandem approbassent, actum est cum reliquis quoque fœderatis nostræ religionis: Ac Rodolphus Gualtherus Schaphusium, Basileam & Mulhusium missus fuit. Approbarunt itaque illam, & huic subscripserunt omnes Euangelicæ aliæ Ecclesiæ per Heluetiam, & Rætiam, vna Basilea excepta: Huius enim ecclesiæ ministri, responderunt, nuper denuò à se editam esse Basiliensis ecclesiæ confessionem, cui omnes subscripserint: quare non videri sibi necesse, vt denuò alteri subscribant. Rursus ab illis petitum fuit, vt liceat bona ipsorum gratia, in præfatione honorificam facere mentionem Basiliensis confessionis, ac testari quòd reliquis vrbibus probetur & inter se consentiant, sed ne hoc quidem illis placuit. Itaque edita est confessio cum harum ecclesiarum subscriptione Tigurinæ, Bernensis, Schaphusianæ, Geneuensis, Neocomensis, ecclesiarum Rætiæ cis & vltra Alpes, S. Galli, Mulhusanæ, & Bipennium. Postquam verò hæc confessio in Scotiam perlata est, ac illic quoq; ministri ecclesiarum subscripserunt, & hunc consensum literis à se subscriptis & Academiæ sigillo obsignatis testati sunt. Hungari quoque fratres in præfatione suæ confessionis, quam blasphemijs & furoribus Blan-

dratæ & Francisci Dauidis opposuerunt, apertè testantur se probare per omnia confessionem ecclesiarum Helueticarum & Geneuensis, probarunt eandem Poloni, Gallica verò & Anglica confessio, cum hac per omnia consentiunt. Capita verò confessionis huius enumerare & summam eius exponere non est necesse: cum Latinè & Germanicè descripta in manibus hominum versetur. Deus Optimus Maximus suo spiritu efficiat, vt quemadmodum hactenus, ita deinceps quoq; in hac simplici fidei confessione, ad nominis ipsius gloriam & ecclesiæ ædifica-
1567. tionem constanter perseueremus. Anno qui priorem sequitur euulgauit homilias in Esaiam prophetam, cœperat hunc in concione publica Dominicis diebus interpretari ante quinquennium, ac domi postea homilias conscripsit, quæ hoc anno editæ sunt: atq; cum peste grauiter laboraret anno 64. hortabatur generum suum Lodouicum Lauatherum, vt ipse si quid sibi humanitùs accideret, conciones in Esaiam ad finem vsq; pertexeret. Sed Dei beneficio, ecclesiæ restitutus cœptum opus docendo & scribendo absoluit. Inscripsit autem hunc librum Illustriss. Hessorum principi Philippo seniori, nam hunc præcipuè inter principes ob eximium studium tuendæ religionis obseruabat: Qui vicissim singularem beneuolentiam erga ipsum sępè testatus, & multis in rebus ad Ecclesiam pertinentibus ipsius consilio vsus fuerat. Obijt autem hoc anno Illustriss. princeps magno dolore piorum, incomparabili iactura ecclesiæ. Nam in omnibus Imperij conuentibus Euangelicam religionem constanter semper professus est, & vnus maximè omnium laborauit in tollendis dissidijs ecclesiarum, solus etiam sese Theologorum quorundam furoribus opposuit, qui toti in hoc erant vt nostræ ecclesiæ publico principum iudicio damnarentur. Domi quoq; Resp. nostra vtilem virum hoc anno amisit Georgium Mullerum Consulem, qui multis annis Bullingeri non tantùm amicus, sed intima quoq; familiaritate illi coniunctus fuit. Conuenere hoc tempore Illustrissimi aliquot Germaniæ principes, & deliberatione habita de componendo certamine Sacramentario, visum est illis, ecclesijs vtile fore, & initiũ futurę pacis hoc cõstituunt, vt partis vtriusq; theologi nihil de hac causa denuò in publicum edant, quandoquidem causa hæc scriptis vtrinq;

satis

satis disceptata sit,atq; Illustriss. Hessorum princeps Vuilhelmus literis ad Bullingerum datis,petit vt & ipse pro sua moderatione huic sententiæ pareat, & reliquis per Heluetiam ministris auctor sit vt idem faciant. Non difficulter hoc à nostris impetratum fuit, qui alioqui pacis amantes, inuiti in hoc certamen pertracti fuerunt, ac paruere principum voluntati, donec rursus coacti importunitate aduersariorum, qui nunquam interea cessarunt nostros impugnare & conuicijs proscindere, iustæ & sanctæ causæ defensionem denuò susceperunt. Bellum in Gallia eodem anno renouatũ est,ac 18.Iulij 6000. Heluetiorum è pagis Pontificiæ religionis,in Galliam ad Regem abiere, quos quatuor deinde millia sequuta sunt. Vicissim 6000. Germanorum equitum & 3000. peditum,Duce Casimiro Palatini filio,Condæo principi auxilio venere. Cum verò Rex nostris imparem se videret, pacem proximo anno fecit, promisso stipendio Germanis equitibus, & partim persoluto, verùm pax hæc dolo malo facta ad opprimendos nostros nõ fuit diuturna. Princeps enim Condæus,& reliqui Euangelicę religionis proceres,cum animaduertissent paratas sibi insidias, Rupellam se receperunt, quò breui magnus nobilium numerus confluxit. 1568.
Inde Condæus legatum ad Heluetios misit, Lodouicum Seneschalcum Valentiæ, qui Tigurum venit 7. Septembris, peculiariter Bullingero à principe cõmendatus: Substitit illic totum mensem, vt causam sui principis in publico Heluetiorum conuentu ageret. Petebat autem princeps vt Heluetij legatis missis sua postulata diligenter cognoscerent, neq; aduersum se & suos militarent,antequã cognouissent iure ne arma sumpserint. Sed cum publicus cõuentus ad 30. Septemb. indictus fuisset, Pomponius Belliuræus Regius legatus ad 26. Septemb. legatos septẽ pagorũ Pontificiæ religionis Salodorũ euocauit,ab hisq; petijt, primùm supplementũ ad restituendum iustum numerũ signorum quæ ante cum rege erant,deinde præter hoc supplementũ nouũ delectum 4000. quorũ vtrumq; facilè ab illis impetrauit: Cæterum in cõuentu publico nihil actum est,maior enim pars legatorum pontificiæ religionis instigante Belliuræo legatum Condæi principis audire nolle, neq; illi fidem publicã dare veniendi in hunc conuentum voluerunt. Itaq; re infecta,clam ad euitandas aduersariorum insidias Tiguro discessit 21. Octobris.

Cum hoc anno Simlerus edidisset libros de æterno filio Dei & de spiritu sancto, Bullingerus his addidit prolixam præfationem, qua confutat anonymi cuiusdam scriptum, quo ille vellicarat iudicium Tigurinorum & Heydelbergensium Polonis transmissum. Dicitur autem huius scripti author fuisse Cardinalis Osius, qui cum scribendo se hactenus Arrianis non opposuisset, quos vnà nobiscum damnat, tamen ferre non poterat Polonos alibi in causa religionis quàm apud Papam Rom. con

1569. silium quærere. Initio sequentis anni, qui est sexagesimus nonus post millesimũ quingentesimum, Illustris princeps Vuolfgangus, dux Bipontinus, cum magnis equitum & peditum copijs Condæo auxilio venit, & quamuis cæso Condæo, nihilominus tamen cum exercitu in Galliam penetrauit, & se Ammiralio iunxit. Obijt autem 15. Iunij. Dum ita bellum in Gallia vbique sæuit, magnus ministrorum & aliorum bonorum virorum numerus, qui tutò illic consistere non poterant, aut se intra nostrorum præsidia recipere, Geneuam paratum semper pijs hospitium, & in vicina Bernatum loca se receperunt. Cum autem plerique magna inopia premerentur, sedulò laborauit Bullingerus, non tantùm domi apud nostros, sed etiam extra Heluetiam vt publica aliqua collecta, inopia ipsorum subleuaretur. Amisit hoc anno filium Christophorum, qui Auranij principis castra sequutus, nõ longè à Catalauno in castris obijt. Ipse quoq; grauiter Ischiade simul & calculo laborauit, à decima tertia Maij vsq; ad initium Iulij mensis: ideoq; scriptionibus minus vacare potuit: veruntamẽ ex omnibus quos potuit habere authoribus, vitas Pontificum Romanorum in compendiũ contraxit. Opus hoc diu antè animo conceptũ, hoc demum anno absoluit. Se-

1570. quenti verò anno scripsit confutationẽ Bullę papisticę, & defensionem Orthodoxæ Reginæ & vniuersi regni Angliæ: Promulgata enim fuerat Romę Bulla à papa, qua damnata Regina Angliæ, omnes à fide illi data liberãtur: scilicet vt hac ratione plebs Anglica ad seditionem aliquam concitari posset. Liber hic in Anglia editus, & in Anglorum etiam linguá conuersus est. Amisit etiam hoc anno fratrem germanũ Ioannem nomine, qui diu fideliter perfunctus ministerio ecclesiæ, 15. Augusti in vera fide & inuocatione D. N. Iesu Christi feliciter ex hac vita migrauit.

Hoc

Hoc anno Heluetij rursus 6000. Regi auxilio misere sexta Martij: Sub initium verò Aprilis 10000. quæ prius in Gallia fuerant domum redire, attamen media fere parte militum aut fortè amplius, morbis, fame, bello amissa. Pax demum hoc anno facta, magnam non tantùm Galliæ sed Germaniæ quoque & Heluetiæ, pijs denique omnibus lætitiam attulit: Atque omnes existimabant, pacem hanc dolo carere & firmam atque diuturnam fore, vt Rex præ se ferebat: verùm hæc opinio multum eos fefellit. Sub finem huius anni, Doctor Vuilhelmus Bidenbachius Theologus Vuirtembergensis, edidit Testamentum Brentij, ecclesiæ Christi verè inofficiosum: Etenim in hoc testamento veram & orthodoxam doctrinam de Christo seruatore & sacra eius cœna, atrocius quàm vnquam antea damnauit, classicum quodammodo canens, & omnes exhortans ne vllum locum nobis in ecclesia Christi relinquant. Quare Bullingerus initio proximi anni septuagesimi primi, nomine omnium fratrum ad hoc Testamentum respondit, ac primum docet doctrinam nostram qua impugnamus essentialem præsentiam & coniunctionem corporis Christi cum pane, sic vt impij illud etiam ore sumant, non esse falsam & erroneam, sed eos errare qui prȩter scripturas multa comminiscuntur de modo præsentiæ, quo substantia corporis Christi essentialiter & corporaliter, non tamen carnaliter aut visibiliter, sed modo quodam & ratione ineffabili vnà cum pane præsens, ore corporis manducetur. Deinde simpliciter ac perspicuè exponit doctrinam ecclesiarum nostrarum de cœna Domini, & de præsentia & manducatione corporis & sanguinis Iesu Christi, in sacra eius cœna, & ostendit 6. caput Euangelij Ioannis rectè ad expositionem cœnæ Domini adhiberi, postea eandem testimonijs patrum confirmat. Differit etiam de ascensione Christi in cœlos, de cœlo beatorũ sede, in quod Christus ascendit, de omnipotentia Dei, de corpore Christi, an illud vbique præsens existat, an circumscriptionem & naturam veri corporis seruet, & de personali vnione diuinæ & humanæ naturæ in vnica Christi persona, quȩ non soluatur seruata in ipso Christo duarum naturarum distinctione. Postremò nos rectè de maiestate & gloria Christi sentire demonstrat, & de personali vnione orthodoxam doctrinam scripturis & veteri ecclesiæ consen-

1571.

tientem retinere. Ideoq; doctrinam nostram, suum habere locum in ecclesia, & falsò nos accusari Arrianismi, item mendacij & cædium: Augustanam confessionem nos nunquam simpliciter reiecisse, neque etiam eandem approbasse, aut fucatis verbis conatos esse in illam irrepere. Placuit hæc responsio plerisque viris bonis, & auidè lecta est, quòd præcipua capita controuersiæ dilucidè & modestè absque vllis conuicijs explicentur. Hoc anno cum Gallia pace frueretur, præcipui Gallicarum ecclesiarum ministri Rupellę sub initium Aprilis synodum habuerunt, ac ea quæ videbantur ad εὐταξίαν ecclesiarum pertinere, constituerunt. Ad eam synodum cum nostri legatos non possent, literas saltem miserunt ad testandum mutuam consensionem in Euangelij doctrina, & singularem perpetuamq; beneuolentiam in vniuersas ecclesias Gallicas. Rescripsere illi nostris, ac primũ gratias illis egere, pro literis ad se missis & perpetua beneuolentia, deinde quo loco sint res ecclesiarum paucis exponunt, ac primùm aiunt in hoc conuentu se operam dedisse, vt sarta tecta maneret fidei confessio communi consensu ante annos aliquot perscripta, ac Regiæ Maiestati oblata & verbis penè ipsis cum Heluetica consentiens. Sed in hac re non multùm laborandum fuisse, cunctis per Dei gratiam eandem fidem summo studio retinentibus, idq; non sine principum ac procerum applausu qui huic synodo frequentes interfuerunt. Inde disceptatum esse de singulis disciplinæ capitibus, ac summam concordiam ac consensionem voluntatum apparuisse. Postremò scribunt, actum esse de varijs rebus ad ecclesiarum restitutionem necessarijs, ac præsertim de multis maculis, quibus bellorum calamitates ecclesias inquinarunt, sedulò repurgandis, atque adeò de ijs, quos sæuissimæ istæ tempestates abripuerunt, in viam reuocandis. Studuisse autem sese pro virili in his rebus illum modum retinere, quem Christiana charitas præscribit, & pacis concessę conditiones patiuntur. Atq; hæc quidem illi ad nostros scribebant, sed interea à quibusdam, nescio quo consilio, spargitur nos esse damnatos à synodo Rupellana, propterea quòd illic palã damnentur qui in negotio cœnæ nolint vti voce substantię, & substantialiter. Scripsere ea de re nostri ad D. Theodorũ Bezam, & ad proximam synodum quæ Nemausi instituta fuit. Beza verò respon-

respondit nihil minus fratribus propositum fuisse quàm nos hoc canone damnare, cùm constanter eandem fidei confessionem nobiscum tueantur. Sed synodum in hoc capite Gallos quosdam spectasse, qui pro re per panem & vinum significata, solam energiam, id est effectum pro re ipsa statuentes, imperitos turbarint. Nam quod ad vocem substantiæ attinet, fratres qui synodo interfuerunt, substantialem illam præsentiam, vnà nobiscum detestari & damnare. Quia tamen hoc illis perpetuò fuerit obiectum, quòd corporis & sanguinis κοινωνίαν inficientur, idcirco retinuisse substantiæ vocem, non vbi de eo quod est pręsens, siue eo loco situm, vbi nos sumus & cœnam celebramus, sed cum quid nobis à Deo detur, in cœna participandum disseritur. Additam autem esse perspicuam istius vocis totiusque adeò spiritualis per fidem communicationis explicationem, vt minimè metuendum sit, ne vel transsubstantiationis vel μετουσίας monstrum per hanc rimulam in ecclesiam irrumpat. Adhæc Bullingerus Bezæ respondit, se quidem quotiescunque cogitet de animis tot tantorumque virorum qui synodo interfuerunt, vel tantillum sinistri de ipsis concipere nefas quodammodo sibi videri, ideoque facilè sibi persuaderi, ista propter alios fortè inquietiores, & ipsis magis quàm nobis cognitos, interposita esse: sed vt vt ea res habeat, videri decretum, verbis paulò inconsideratius conceptum & pronuntiatū esse, Damnamus eos qui non recipiunt substantię vocabulum. Quis enim ignorat nos ex eorum numero esse, qui hoc non recipimus neq; vnquam recipere voluimus? quamobrem consultissimum fore, vt cum iterū in synodum coierint, hac de re sermones & decreta sua sic temperent, vt omnibus vbiq; manifestum fiat, neq; de nobis neq; de nostri similibus vbicunq; locorum fuerint canonem locutū esse: Neq; se dubitare fratres id nō difficulter facturos, pro sua pietate & pacis conseruandæ studio. Nos enim nostri hìc nihil quęrere, sed tantùm hoc agere, ne condemnatio hæc pariat suspiciones, dissidia, & contentiones ecclesijs nostris perniciosas. Atque ita quidem postea contigit. Sed hoc ipso anno, propter insolitā hyemis asperitatem, infœlix fuit vini & frumenti prouentus, ac omniū rerū pretijs auctis insolitū in modū, vulgus fame graui premebatur, ideoq; Bullingerus cū reliquis ecclesię ministris ad

ſenatum retulit, vt publicæ preces inſtituantur, & ratio aliqua ineatur qua pauperibus conſuli poſſit, ſic vt ignauæ & otioſæ mendicitati locus non concedatur. Ac tum ſupplicationes per vrbem & agrum tertijs quibuſque ferijs inſtitutæ ſunt. In eleemoſynę ordine inſtituendo, multum quoq; laboratum eſt. Ac durante diutius annonę caritate, maximos ſumptus ſenatus noſter fecit in veſtiendis & alēdis pauperibus, nō tantùm domeſti
1572. cis ſed exteris quoque, qui gregatim huc confluebant. Sequenti anno à fratribus Gallis ſynodus Nemauſum indicta fuit, prima die lunæ menſis Maij, idque noſtris per literas ab illis ſignificatur, ac petunt vt noſtri quoq; ſuos legatos eò mittant. Amiralius quoque ſcribit ſe cum concordiam noſtræ eccleſiæ cum Gallica intellexiſſet, maxima lætitia perfuſum, quòd videat quā multum illa amplificandę gloriæ Dei inſeruire poſſet. Etſi autē non dubitet nos ſummo ſtudio huc niti vt eadem vnitas concordiaq; conſeruetur, tamen ob deſyderium quo omnes flagrare debemus, hoc idem à nobis obnixè ſe petere, ac rogare vt quemadmodum videmus diabolum non dormitare vt aliquid mali moliatur, ſic nos quoque omnes vigilemus, quò frangantur illius cœpta & conſilia: petit etiam vt in fœdus quod rex iſthic icere in animo habeat, conſentiant, propterea quòd iſtuc cedat vſui & commodo omnium eccleſiarum benè inſtitutarum, & in genere bonis omnibus profuturum ſit. Noſtri Amiralio reſpondent, ac initio maximas illi de eo gratias agunt, quòd benigniſsimis à ſe ſcriptis literis, propenſiſsimam erga nos ſuam voluntatem atteſtetur. Quod autem concordiam & conſenſum attinet, ſe quoque huius neceſsitatem agnoſcere, & daturos operam vt pię ipſius voluntati, etiam noſtra deſyderia, vota, ſtudia, atque officia coniungant. Sed quoniam ipſe & dignitate & authoritate apud eccleſias Gallicas, atque ipſum adeò regnum præſtet, atque ideò & apud has & apud ipſum regem ac regni proceres plurimùm poſsit, neminem omnium hominum eſſe, ipſo vno magis idoneum ad conſeruandam tuendamq; concordiam. Itaque ſi (vt ſolet Sathan, in eccleſiarum emergentium initijs, omnem mouere lapidem ad obruendam veritatem) nonnulli velint ſtudere rebus nouis, vel in eccleſiarum gubernatione conſtituenda in alterutram partem nimis à mediocritate recedere,

cedere, vel affectibus suis indulgere nimium, & plus æquo disciplinam aut remittere aut intendere, vel alios alij inuectiuis acerbè diuexare, & non tentatis antea omnibus lenibus remedijs temerè contemnere ac condemnare, tùm ipsum exemplo Constantini magni qui priscis ecclesijs pacem primus dedit, debere tales interposita sua authoritate coercere, & ad pacis atque ædificationis ecclesiasticæ studium illos cohortari. Ad fœdus autem quod attinet, eam rem alienam esse ab officio suo, & in senatus populique voluntate atque potestate positam. Itaque se sic existimare, cum quid eius rei ad ipsos relatum fuerit, quæ rei Christianæ, publicæque saluti maximè consentanea viderint, pro eo ac decet ac expedit, haud grauatè facturos. Missæ sunt etiam literæ ad synodum Nemausensem, neque enim vtile videbatur legatum hoc tempore mittere. Synodus verò fraternè admodùm rescripsit: ibi docent qua de causa ab initio vocabulo substantiæ in confessione sua vsi sint, deinde quænam de eo fuerint controuersiæ in ecclesia Gallica, ac tres rationes afferunt cur synodus hanc voculam de confessione tollere noluerit. Primùm quòd iudicaret si quæratur quidnam per communionem adipiscamur, dicendum esse non tantùm merita & fructus Domini, verùm etiam in primis ipsum Dominum, qui est fons istorum bonorum, à nobis spiritualiter per fidem percipi. Id quod substantiæ nomine significatum voluerint. Deinde cum duplex scopulus propositus esset, vnus eorum qui Christum ipsum è cœna tolli accusant, alter autem illorum qui metuunt, ne posita substantiæ communicatione, corporalis ille communicationis modus stabiliri videatur, vtrique malo se occurrere voluisse, & prioribus quidem os occludere retento substantiæ nomine, istorum verò timori mederi, addita ea interpretatione, quæ omnem ambiguitatem vocis tolleret, & merè spiritualem ac mysticam esse istam ipsius Christi communionem demonstraret. Postremò cum non ageretur de hac voce confessioni inserenda vel non inserenda, sed de illa vel retinenda vel expungenda, non potuisse se illam expungere, ni vellent magnam leuitatis notam incurrere. Ob has rationes Rupellanam synodum non simpliciter eos dam-

nasse qui hac voce abstinent, sed eorum duntaxat opinionem reiecisse, qui nollent vocem hanc eo sensu admittere, quo illic vsurpatur. Itaque sibi fieri iniuriam ab his qui synodi verba ita interpretati sunt, ac si aduersus nostras ecclesias præscripta essent, deinde synodum tantùm Gallicis ecclesijs canones præscripsisse, & præterea Helueticam confesṡionem, non minus quàm Gallicam in omnibus & singulis approbare, vt ambas ex puro Dei verbo depromptas penitusque inter se consentientes. Cæterùm vt omnis dissensionis suspicio tollatur, scriptum
„ Rupellanæ synodi sic à se emendatum esse: Synodus sine vllo
„ prorsus exterarum ecclesiarum iudicio, quæ certis de causis
„ substantiæ vocabulum non vsurpant, vocabulum quidem sub-
„ stantiæ retinet, sed eo demum sensu quo in prædicto 36. arti-
„ culo continetur, &c. Actum est in eadem synodo de altera controuersia, quidam enim Franciæ prouinciæ viri docti, formam disciplinæ hactenus receptam oppugnabant, inter hos fuit Petrus Ramus, eloquentię nomine toto orbe celeberrimus. Is cum superioribus annis bellum fugiens Tigurum venisset, de doctrina sacra nobiscum contulit, ac nobis libros de sacra Theologia à se scriptos legendos dedit, qui sanè non tantùm elegantes & diserti, sed etiam pij & orthodoxi nobis visi sunt. Tum aũt contendebat nõ aduersus disciplinã, sed penes quos esset ecclesiastica gubernatio, volebat enim non penes paucos, sed penes vniuersam ecclesiã esse iudiciũ doctrinæ, electionẽ & abiectionem ministrorum, excommunicationem & absolutionem. Non interfuerunt hi synodo quamuis vocati, scripta tamen eorum à capite ad calcem diligentiṡimè recitata sunt, idque palàm & publicè, & tandem denuò sancita & approbata est disciplina hactenus in ecclesijs Gallicis vsurpata, illorum verò opiniones sunt explosæ. Iniunctum est autem illarum partium ecclesijs, quas illi perturbare ceperant, vt omni studio & diligentia flectere illos, & mansuetè, si non ad mutandam sententiam adducere, at certè eò pertrahere conentur, vt pacem & concordiam colere potius in animum inducant, quàm rebus nouandis serendisque vllis discordijs studere: atque hæc quidem synodi sententia fuit. Et verisimile est eam si non statim, at suc-

at ſucceſſu temporis aliquid ponderis apud aduerſarios habituram fuiſſe ad tollendam hanc controuerſiam ex eccleſia, ſed dum homines tardius rationibus flectuntur, noua perſecutio præter expectationem orta, omnes illas domeſticas & inteſtinas contentiones ſuſtulit. Rex enim qui ſe amicum noſtris ſimularat, inaudita crudelitate & perfidia, Amiralium ac reliquos proceres, qui ad Nauarreni Regis nuptias Pariſios venerant, trucidari iuſsit, & Pariſijs alijsque in vrbibus plebi poteſtas ſæuiendi in noſtros data eſt, ita vt paucis diebus ſupra 30000. hominum religioſorum trucidata dicantur. Hoc facto variè hominum animi commoti ſunt, & plerique, cum tantus rex contra fidem tot modis confirmatam hæc fecerit, indè colligebant papiſtis nullam prorſus habendam eſſe fidem: Omnes enim eodem modo ad opprimendam religionem noſtram affectos eſſe. Multorum etiam animi prorſus conſternati & deiecti fuerunt, quibus mirum videbatur Deum permittere tantum improbis hominibus, eoſq; pati adeò crudeliter ſæuire: Bullingerus igitur ad conſolandum pios homines, qui hac perſecutione vel premebantur vel offendebantur, librum ſcripſit & ſequenti anno euulgauit, De perſecutione, in quo grauiſsimas Chriſtianæ eccleſiæ perſecutiones enumerat, cauſas earum exponit, ad patientiam & conſtantiam hortatur, & pœnas perſecutorum enumerat. Viſa eſt etiam hoc tempore noua ſtella in ipſo Caſsiopeiæ ſydere, tàm ſplendida ab initio, vt cæteras omnes ſuperare & cum Lucifero ſplendore certare videretur. De ea diuerſa fuerunt doctorum virorum iudicia, quorum multa publicè extant, pleriq; tamen exiſtimabant Deum ſignum hoc dediſſe ad confirmandos ſuorũ animos in tam atroci perſecutione. Apud nos hoc anno altera turris ſummi templi, in quo Bullingerus concionabatur, de cœlo tacta conflagrauit, idq; incendium nõ tàm ſui damno quàm triſti omine animos hominum terruit. Obijt etiam hoc anno Ioannes Vuolfius eccleſiæ noſtræ miniſter, vir pius & doctus, multisq; donis ornatiſsimus, & inter alios Symmyſtas maximè gratus et accept⁹ Bullingero. Anno hoc qui cru 1573.
deliſsimam Pariſinã cędẽ ſequitur, admodũ aduerſus noſtros ſæuitũ fuit in Gallia, & reliquiæ piorũ quæ Rupellã confugerant

obſeſſæ & oppugnatæ ſunt. Eodem tempore cum Poloni de nouo rege deligendo deliberarēt, Gallus miſſo illuc Monlucio epiſcopo Valentino, miris artibus & multis pollicitationibus vix tandem effecit, vt fratrem ſuum Henricum ducem Andegauenſem Regem Poloniæ crearent. Eius diſceſſu perſecutio aliquantulum mitigata eſt. Domi verò hic annus nulla re præcipuè memorabilis fuit, ſed eum quietum in literis & munere ſuo obeundo Bullingerus tranſegit. Multum etiam occupatus ſcriptione epiſtolarum, quibus afflictos conſolabatur, aut petentibus conſilium reſpondebat, cuius generis quamplures literas in Poloniam miſit. Nam viri principes eius gentis cùm ageretur de electione noui Regis, de illa laniena Pariſienſi, de ſtatu eccleſiarum per Galliam, de moribus, natura & ſtudio ducis Andium, ſubinde per literas ſciſcitabantur. Venit etiam hoc anno Tigurum ex Italia domum rediens vir doctiſsimus, Eraſmus Michaelius Lætus Cimber, ac humaniſsimè à Bullingero exceptus, amicitiam cum eo ac alijs viris bonis contraxit. Vtinam tanti viri humanitatem multi alij per Germaniam imitarentur, qui doctrina & ingenio Lęto nequaquam pares, tamen aliorum amicitias non tantùm aſpernantur, ſed doctiſsimos viros hoſtium loco habent, ſi ſuis opinionibus vel tantillum contradixerint. Sequitur annus 1574. morte regis Galliarum Caroli IX. vbique celebris, nobis triſtiori nota inſignitus, quòd Curiæ Rætorum oppidi, maxima pars 23. Iulij hoc anno conflagrauit. Edidit hoc anno Bullingerus conciones in Pſalmos 130. & 133. Item reſponſionem ad ſeptem præcipua accuſationis capita, quæ hodie quidam inquieti homines maxima importunitate per calumniam Tigurinæ eccleſiæ miniſtris obijciunt, in quo libello breuiter totam controuerſiam Euchariſticam, ab origine ad noſtra tempora complexus eſt. Sub initium verò menſis Octobris incidit in grauiſsimum morbum, is ſiue fuerit dyſuria, ſeu ardor vrinæ, certò affirmare non poſſum, nam tum quoque medici non per omnia idem ſtatuebant. Laborauerat ſuperioribus annis Lithiaſi, & infinitas arenas, calculorum quoq; magnum numerum excreuerat: ſed iam integro anno & aliquot menſibus nullas arenas neq; calculos ſenſerat,

1574.

vrinam

ctrinam autem ſæpè,ſed non magna quantitate ingenti cum do lore & ardore aliquo reddebat. Hic morbus latera etiam maximè vexabat,ac Octobri menſe paulatim creſcens, eum in lectū coniecit, ac diutius miſerè cruciauit. Tandem tamen ſub medium Decembrem ita priori valetudini reſtitutus fuit, vt rurſum publicè docendo ſuum munus obiret. Allatum eſt ad nos hoc tempore Iacobi Andreæ ſcriptum, quo Teſtamentū Brentij defendit: Bidenbachius enim qui Teſtamentum Brentij euulgarat, & propterea etiam defendere debuerat, ſubitanea morte,de qua varij hominum ſermones fuerunt, è medio ſublatus fuit. Quoniam verò Iacobus Andreæ non tantûm teſtamentum Brentianum propugnabat, ſed ſimul etiam priuatim Bullingeri libellum conuellebat, quo ille ſeptem accuſationibus aduerſarioriorum reſponderat,viſum eſt vt reliqui miniſtri communi nomine Iacobo Andreę reſponderent,ac Bullingero in hac re parcerent.Ipſe verò ſeparatim ad ea quæ in ipſum ſcripſerat reſpondit,ac eius calumnias & obiecta diluit ac confutauit.Scio autem quoſdam reprehendere Bullingerum, quaſi nimius fuerit in accuſando, aut etiam irridendo hoſte ſuo, neque eandem modeſtiam in hoc ſcripto ſeruarit atq; in reliquis ſuis: à quibus ego velim cognoſcere, quænam ſint illa adeò dura ac aſpera quæ ferri nō poſsint. Iacobus Andreæ in ſuo ſcripto nobis ſingulis penè paginis mendacij & homicidij ſpiritum tribuit,doctrinam noſtram impiam & damnatam eſſe contendit, nos vocat Arrianos,& Machometanos, & quiduis liberè contra nos dicit, ſed hæc neminem mouent, nemo hunc accuſat quòd modeſtiæ fines egrediatur, quòd non ducatur manſueto ſpiritu Chriſti,ſed ſi quid noſtri contra illum veriſsimè dicant, id ferri non poteſt.Adductis & notatis locis euidenter oſtendimus, ipſum impudenter nunc ea negare, quæ antè docuit, & falſo nobis tribuere quæ nunquam ſenſimus aut docuimus: huiuſmodi calumnias ita manifeſte oculis ſubiecimus vt ne verbum quidem reſpondere poſsit: appoſitis item ipſius Iacobi Andreæ verbis oſtendimus, quantum illa diſcrepent à veteris eccleſiæ doctrina,& cum nouis Arrianis cōſentiant. Quare etſi hominem calumniæ & mendacij conuictum,improbum quadruplatorem Bullingerus vocet,& calumniatorem, & ho-

1575.

hominem vanum ac impudentem, non debet id cuiquam mirum aut durum videri, cùm talem esse antea euicerimus. Indignum fortè videtur, quòd tantum doctorem circumforaneo agirtæ confert, sed huius rei ipse causam præbuit, qui tam impudenter se ipsum iactat, & quidem in rebus friuolis. Quod si etiam alicubi liberius iocatur & ludit aduersus illum ridens Bullingerus, venia illi danda est, qui tot contumelijs prouocatus, calumnijs petitus, conuicijs laceratus, aduersarium liberè & verè, ac simul etiam salsè perstringit. Atque hoc quidem vltimum scriptorum Bullingeri, non deerunt vt spero qui defendant aduersus calumniatorum morsus. Nos quoniam series & ordo narrationis hûc peruenit, quod vnum restat vltimum vitæ eius actum & ex hac vita exitum paucis exponemus: vigesima igitur quarta Maij mensis, anni 1575. denuò idem morbus, quo superiore anno laborauerat eum inuasit, exercuerat se multum superioribus diebus festi Pentecostes docendo: itaque ex illa vocis & laterum contentione morbum ortum aut saltem auctum fuisse putabamus, & ideò sperabamus minus fore diuturnum, quiete ipsa confirmante rursus vires & pellente morbum. Dolor omnis in excernenda vrina sentiebatur, cuius tamen variæ fuere vicissitudines, aliquando enim eadem hora quater aut quinquies natura vrinam impellebat, magno impetu, sed tamen parum aliquid reddebatur, idque tanto cum ardore, vt prorsus feruens & ignita videretur, & in excernendo totum corpus tremebat & concutiebatur, rursus nonnunquam copiosissima vrina fluebat, sed ne ipsa quidem absque cruciatu, verûm tanta copia, vt potum quo minimo vtebatur, duplo nonnunquam superaret. Impetus etiam illi naturæ pellentis, modò crebriores modò rariores, erant plerumque acerrimi, nonnunquam verò aliquantulum remissi: durarunt hi cruciatus quatuor integris mensibus, tentatis interea diuersis & varijs remediorum generibus, quæ vel medici domestici præscribebant, vel aliundè ab amicis mittebantur: sed plerisque magis irritata quàm mitigata fuit atrocissimi morbi vis. Ipse interea omni hoc tempore verum fortitudinis & patientiæ exemplar in perferendis tantis doloribus sese præbuit. Nam inter acerrimos

mos dolores, nunquam illi verbum excidere audires, non etiam aliquem alium habitum corporis in eo animaduerteres, aut aliquid quod esset indignationis aut impatientiæ indicium, sed in summis doloribus, quò intentiores illi essent, eò ardentius ille Deum deprecabatur. Remittente verò dolore, quasi morbo iam omni liber, iucundè cum præsentibus sermones serebat, non tantùm cum domesticis, verumetiam cum peregrinis, quorum multi videndi & salutandi causa ipsum accedebant. De se ipso autem dicebat, si Deo visum fuerit & illi placuerit mea opera vlterius in ecclesiæ ministerio vti, ipse vires sufficiet, & libens illi parebo, sin me velit, quod opto, ex hac vita euocare, paratus sum illius voluntati obsequi, ac nihil est quod mihi iucundius posſit contingere, quàm vt ex hoc misero & corruptisſimo seculo ad Christum seruatorem meum mihi migrandum sit. Socrates, inquit, apud Ciceronem in Tusculanis, gaudet sibi moriendum esse, propterea quod Homerum & Hesiodum & alios præstantisſimos viros se visurum crederet: Quanto magis, inquit, ego gaudeo qui certus sum me visurum esse Christum Seruatorem meum, æternum Dei filium in assumpta carne, & præterea tot sanctisſimos patriarchas, qui ab origine mundi vixerunt, eximios illos Dei prophetas, Apostolos item seruatoris nostri, quibus pares mundus non habuit, & omnes sanctos qui vnquam fuerunt: Hos inquam, cum me visurum sciam, & participem fore credam fœlicitatis eorum, quam habent in Deo Seruatore suo, quidni libens ex hac vita ad hanc piorum societatem & perpetua gaudia discedam? Denique omnes eius sermones huc spectabant, vt appareret ipsum totum iam in illius futuræ vitæ cogitatione versari, sic tamen vt semper nihilominus sese paratum ostenderet, ad perferendam patienter crucem, si Deo videretur eum diutius in hac vita & laborioso munere ministerij ecclesiastici retinere. Atque multa alia eius generis quotidie cum amicis colloquebatur, morbo autem nihil remittente, die decimo sexto Augusti omnes ecclesiæ ministros & professores in suas ædes conuocauit, qui vbi in musæo eius (illuc enim interdiu si posset, se recipere solebat) prolixam ad eos orationem habuit,

primò omnium gratias omnibus diligentissimè egit, quòd ad se vocati ad horam constitutam venissent, deinde dixit se constituisse, illis in tempore valedicere, dum integrum adhuc vsum rationis haberet, ac demũ de se verba faciens, se inquit agnoscere magnam quidem vim morbi, quam tamen facilè Dominus depellere posſit, quòd si integræ valetudini à Domino restituatur, nihilominus & vtilem, & vt speret, non ingratam fore illis orationem suam. Atq; dum de his rebus initiò orationis verba faceret, lachrymas continere non poterat, quas tamen excusabat, ac testabatur se non tam metu mortis quàm charitate qua singulos complecteretur, ad lachrymandum comoueri, adducens exemplum Pauli, qui cum in Mileto conuocasset ministros ecclesiæ, multis lachrymis illis valedixerit: Non quod Paulo se conferat, qui suæ tenuitatis probè sibi sit conscius, sed vt summi Apostoli exemplo ostendat, sibi vitio non esse vertendum, quòd absque lachrymis ipsis valedicere non posset. Postea ad doctrinam accedens profitetur se mori velle in vera Apostolica & orthodoxa doctrina, atque vt omnibus constet quæ sit illa, Symbolum Apostolicum recitauit & addidit doctrinam suam contineri & breuiter exponi confesſione Helueticarum Ecclesiarum, quam veram esse ex animo agnoscat, sic vt ne verbum quidem in ea mutatam velit: Brentio & Smidelino aduersarijs suis, se inquiebat ex animo ignoscere, & quia eum ad tribunal Dei vocent, se libenter coram eo compariturũ, certumq; esse de victoria. Hortabatur deinde omnes vt hanc eandem doctrinam, quam hactenus vnà secum profesſi sint, constanter in posterum etiam profiteantur, & Deum ardenter orent, vt spiritu suo eos regat, ac in consensu sanæ doctrinæ, & mutua concordia ipsos conseruet. Quoniam verò ebrietas Germanicæ nationis sit vulgare vitium, illud cauendum admodùm esse dicebat, eos enim qui huic flagitio obnoxij sunt, non posse ædificare ecclesiam & cum fructu docere populum, propterea quod etiam eorum bene dicta rideantur & contemnantur: monebat etiã vt nullum locum dent calumnijs, odio inuidiæ: debere enim hæc vitia longè turpisſima aliena esse à ministro ecclesiæ. Debere ipsos se mutuò amare, & alter alterius authoritatem atq; honorem tueri, & augere, Quando ministri seuerè vitia hominum

taxant,

taxant,ſemper exiſtere aliquos è vulgo qui id ægrè ferant & de miniſtrorum ſeueritate conquerantur,turpe autem eſſe ſi miniſtri tales confirment,& fratribus ſuis qui vitia reprehenderint inuidiam conflent, tantùm vt ſibi conciliare poſsint improborum hominum gratiam.Poſtea iubet vt Senatum,qui hactenus conſtanter veram doctrinam defenderit, ament & colant, & ſi opus ſit,de reb.ad eccleſię vtilitatem ſpectantibus priuatim erudiant.Et quia multa vulgo temerè ſparguntur,etiam de optimis & potentiſsimis quibuſq;,cauendum illis eſſe ne quiduis temerè credant & ſpargant:ſed res certas & exploratas modeſtè proponant. Poſtremò denuò de ſuo in omnes amore teſtatur, ſe hactenus omnes fratrum & filiorum loco habuiſſe, ipſos ſyncerè amaſſe, & ſeriò pro illis oraſſe Dominum, orare igitur ſe nunc,vt quicunq; ipſi in miniſterio ſuccedat,ſe alijs non præferat:ſed eos amet & diligat, alij viciſsim ipſum obſeruent & colant,non illi inuideant,non odio habeant: atque ita gratiarum actione addita & verſib. aliquot Prudentij recitatis orationem clauſit.Cæterum vt miniſtris præſentibus viua voce, ita Magiſtratui literis ſua manu ſcriptis valedixit: Literas tamen illas obſignatas, poſt mortem demum ſuam ad Conſulem deferri voluit. In his magiſtratum ad diligentiam in obeundo ſuo munere cohortatur,curam Eccleſiarum & ſcholarum illi commendat,pro beneficijs in ſe collatis gratias agit,& diligenter monet, qualem in ſuum locum miniſtrum deligere debeant,ac illis nominatim Rodolphum Gualtherum commendat, vt maximè idoneum ſucceſſorem & eccleſiæ Dei vtiliſsimum. Literæ hæ poſt obitum ipſius, in conſeſſu ducentorum magna vniuerſorum attentione, lectæ ſunt, & communibus ſuffragijs is quem nominauerat in ſuis literis ſubſtitutus eſt. Sed ab illa cohortatione,quam ad eccleſiarum miniſtros habuit, ſuperſtes adhuc fuit dies triginta duos.Extremis verò morbi diebus,deſtillationes capitis eum vexare cœperunt, morbus pleriſq; literatorum infeſtus. Defluxionibus illis pectus paulatim repletum fuit,& difficilius loqui deinceps poterat. Manſit tamen illi integer rationis vſus,& poſtrema die quæ fuit 17. Septembris, pauca verba faciebat, niſi quòd ſubmiſſa voce precabatur, modò quinquageſimum primum, aut 16. 42. Pſalmum, modò orationem

Dominicam,modò alias preces recitans: tandemq; se quasi ad somnum componens, sub ipsum solis occasum animam suam Deo reddidit. Atq; hic fuit illius ex hac vita exitus,ipsi quidem lætus & exoptatus, atq; etiam vtilissimus,quippe qui omnium molestiarum & curarum finem illi attulerit, & initium fuerit veræ & beatæ vitæ, qua nunc perpetuò in cœlo cum Christo fruitur. Nobis tamen dies illa tristis & luctuosa fuit, qui ægrè adhuc desyderium tanti viri sustinemus,& scimus, quantam in illo iacturam Ecclesia fecerit. Sed quoniam & illius bonis gaudere debemus,& nostra mala patienter ferre, non lachrymis & querelis, sed precibus narrationē nostram concludamus: orantes Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, vt sicut spiritu Eliæ Elysæum donauit,ita donis Spiritus sancti,quibus Bullingerum ornauerat,reliquos ecclesiæ ministros superstites, quotidie magis locupletare velit, quò Ecclesiam & scholam fidei ipsorum commissam, doctrina & vitæ exemplo salutariter regant,& gloriæ Domini & populi saluti fideliter inseruiant, donec tandem omnes in vnum gregem, sub vno summo pastore Christo in cœlis coniuncti, perpetuò agnum ducem sequamur & celebremus,cui soli debetur honos & gloria,in secula seculorum. Amen.

HENRICI BVLLINGERI VITAE FINIS.

APPENDIX

APPENDIX QVA ABSTERGVNTVR CALVMNIAE IACOBI ANDREAE, QVIBVS TIGVRINAE ECCLESIAE MINIſtros & R.V. HENRICVM BVLLINGERVM, *nuper edita Reſponſione poſtrema ad ipſorum Apologiam, aſperſit.*

ABSOLVTA narratione vitæ Henrici Bullingeri, admonitus fui ab amicis, mei officij eſſe qui vitam eius ſcripſiſſem, vt etiam mortuũ & nunc in Domino quieſcentem, à calumnijs Iacobi Andreæ defenderem: etſi enim Reſponſio eius nuper edita non tantum aduerſus R.V.D. Bullingerum, ſed contra omnes eccleſiæ noſtræ miniſtros ſcripta ſit, tamen non opus fore publica & cõmuni Miniſtrorum reſponſione, cum argumenta & obiecta Apologiæ noſtræ, vix vno aut altero loco attingat, neque aliqua cum ſpe publicæ vtilitatis diſputationem cum illo inſtitui poſſe, quem ſcripta ſua teſtantur id agere, vt controuerſiam hanc ſuis ſophiſmatibus magis obſcuret & inuoluat: præterea cum perpauca ſane argumenta in hoc libro proferat, eaque futilia & infirma, non magnum laborem mihi in his confutandis ſuſcipiendum eſſe, neque quenquam fore qui me arrogantiæ arguat, quòd ad hæc ſolus pro omnibus reſpondere auſus fuerim, & lectores veritatis cognoſcendæ ſtudioſos breui & dilucida refutatione contentos fore. Quoniam verò non contemnendæ videbantur rationes quas proponebant, lubens eorum conſilio parui, quibus alioqui mea ſtudia & labores obnoxij ſunt, & Appendicem hanc Vitæ Bullingeri adieci, vt calumnias Andreæ abſtergerem & dilucidè confutarem, an id aſſecutus ſim, iudicent Lectores pij & moderati, qui eius ſcripta & Apologiam à miniſtris eccleſiæ noſtræ editam prius legerint, ad hanc enim plerunq; lectorẽ remitto, ne idem denuò repetere cogar.

De conuitijs. Primùm conqueritur nullum vehementius acerbiusq́ue ſcriptum vnquam à Zuinglianis editum,quàm nunc aduerſum ſe:iraſci enim nos illi quòd errorem noſtrum ſic detexerit,vt omnes videre poſsint nos duci Spiritu mendacij. Equidem non miror quòd ſe durius exceptum conqueritur, habet enim teneras aures,& quæ veram admonitionem & iuſtam reprehenſionem ferre non poſsint. Verùm ne lectores nos conuitijs & contumelijs indulſiſſe credant, obſeruent primùm noſtræ reſponſionis duas eſſe partes: vna cõmuni miniſtrorum nomine ſcripta eſt,qua ipſius ſophiſmata confutantur, de hac meritò conqueri non poteſt,nullis enim conuicijs proſcinditur:arguuntur quidem eius ſophiſmata,calumniæ,mendacia, ſed ita manifeſtè locis notatis,vt ab omnibus animaduerti poſsint, & nunc nihil ad hæc reſpondit,neq; ſe purgauit. Altera pars Reſponſionis à R.V.Henrico Bullingero conſcripta eſt,qua ſuum nomẽ à conuitijs quibus ipſum nominatim Doctor Andreæ proſciderat aſſerit:quæ ſi acerba alicui videatur,conferatur prius cum Andreæ ſcripto,& facilè apparebit eum modeſtiæ fines non exceſſiſſe. Nam D. Andreas in defenſione Teſtamenti Brentiani, tot conuitijs & contumelijs noſtras eccleſias proſcidit,vt qui legerint teſtentur ſe vix maledicentius quicquam legiſſe:ſummam illorum habes pag.144. & 145. Apologiæ noſtræ:itaque Bullingerus primus paſtor noſtræ eccleſiæ iuſto zelo commotus, improbum hunc calumniatorem grauius reprehendendum exiſtimauit, & ſuis coloribus depingendum,vt pij oculos aperiant,& ipſum tandem agnoſcere incipiant, qui hypocriſi ſua hactenus multis impoſuit. Quare cum Lutherum,quo nemo acerbiores & vehementiores libros vnquam edidit, præterquam eius Carozelos nuper natos, D. Andreas excuſet,quòd ita meriti fuerimus vt tam contumelioſe in nos inueheretur, quod tamen falſum eſt:valeat hic eadem ratio, nihil enim Bullingerus contra ipſum ſcripſit quàm quod commerebantur eius calumniæ antea in vulgus editæ. Vocat eum mendacem, calumniatorem, ſophiſtam,ſed plus quam viginti locis noſtræ Reſponſionis horum criminum productis teſtimonijs conuincitur: vocat eum garrulum & thraſonẽ atq; agyrtæ confert,ſed talem eſſe ſcripta ipſius oſtendunt,cum verboſa,tum pleraq; iactatione aliqua &

gloriatione

gloriatione suipsius referta: vocat eum polypragmona, hominẽ valdè negotiosum, sed hoc ipse de se cõfitetur: ridet eius magnificos titulos & ipsi non parum lucrosos, sed hoc non solus facit, multi enim viri boni rident & improbãt in his qui Euangelium profitentur, Pontificios titulos, Abbatũ, Prępositorũ & similes. Non itaq; Bullingerus damnandus est, si & iocatur liberius in magnifici Doctoris fastũ, & eius calumnias & conuitia apertè arguit: nisi fortè alijs quidẽ licet salua veritate redarguere suos aduersarios: sed Zuinglianis id facere piaculũ est: si contumelias ferunt & amicè rescribũt, sunt hypocritę: si indignantur & nonnunquam pro merito in improbos sophistas inuehuntur, amiserunt spiritum Dei, & non tantùm humano affectu ducuntur, verùm à malo spiritu impelluntur.

Quod verò iactat se nostros errores detexisse & nos mendacij conuicisse, more suo facit, qui amat de rebus falsis gloriari: vult autem fortè apud suos sibi amplam hanc laudem comparare, quòd cum Lutherus & multi alij contra Zuinglianos scripserint, solus tamen Iacobus Andreæ & primus Zuinglianum errorem detexerit. Sed Dei beneficio neq; erroris neq; mendacij nos conuicit, neq; etiam conuincere poterit, multominus Arianismi damnare: verùm dum alios arguit, suos errores turpissimos prodit, cuius rei ipsum & ante conuicerunt Heidelbergenses theologi, in Appendice confessionis suæ editæ superiori anno pag. 145. & sequentibus: & nos quoque in nostra Responsione errores & mendacia eius deteximus, ac plura illi obijciemus si prius saltem ad vnum & alterum locum responderit, & excusarit mendacia quorum ipsum arguimus à pagina 123. ad finem vsque cap. 12. Et ad ea responderit quæ pag. 115. & proximis illi obiecimus, & ostendimus qui nam cum Nestorianis & Samosatenianis colludant.

Andreas erroris nos nõ conuicit.

Porrò quod gloriatur de suis rebus gestis, & studio procurandæ pacis in ecclesia, non opus habet nostra confutatione, exitus enim acta probabit, & iam se prodere incipit pręclara illa concordia, quæ breui ni fallor plura nobis Corpora doctrinę, & Examina pariet, quàm olim Summas & Commentarios in Magistrum sententiarum scholæ papisticæ protulerunt. Sed facile est illi gloriari de concordia: si enim aliqui contradicant eius

erroribus, quod viri doctiſsimi Vitenbergenſis Academiæ fecerunt, mox damnabuntur Zuinglianiſmi. Ac non dubito ſi theologi qui Torgę Zuinglianam doctrinam damnarunt, & in aliorum locum Vitenbergæ ſucceſſerunt, noluerint Vbiquitatem approbare, breui fore vt ipſi quoq; dicantur occulti Zuingliani & Caluiniani eſſe.

Poſtrema accuſatio eſt, quòd nos huius incendij auctores ſimus, quod nunc deploramus: ſed hanc calumniam ſatis ſuperq; primo capite Reſponſionis noſtræ confutauimus, & oſtendimus quinam conuenta Marpurgi, Concordiam Vitenbergę factam violarint: qui inducias principum iuſſu conſtitutas fregerint: quod nos non fecimus ſed Lutherus atque Brentius & horum diſcipuli.

Deinceps rem ipſam aggreditur, atq; ait rem tandem iudicio committendam eſſe, quo finis diuturnæ controuerſiæ imponatur. Rectè quidem, neq; eſt quicquam quod mallemus, quàm æquo aliquo iudicio controuerſiá hanc dijudicari: ſed noſter Andreas tanta ęquitate vtitur, vt ſe ſolum ac ſuos in iudicio audiri velit, atq; ita ipſe ſolus erit actor & ſimul iudex, & quod plus eſt patronus noſter: noſtris defenſionibus omnis aditus præcluſus eſt: & non minus diligentes ſunt in librorum examine & damnatione quàm papiſtici inquiſitores: ſed tamen ne fortè queramur nos inauditos damnari, bonus ille doctor noſtræ doctrinæ ſummam proponit, ſed ea fide & diligentia, quæ ab acerrimo noſtro hoſte expectari poteſt.

Cur de cœna agit omiſſa vbiquitate.

Ante annos non ita multos cum Mulbrunnæ Doctori noſtro de cœna Domini diſputandum eſſet, noluit eam diſputationem ingredi, niſi prius de Omnipræſentia corporis Chriſti diſceptaretur, non enim poſſe alteram quæſtionē abſq; hac explicari, nunc verò nulla mentione facta Omnipræſentiæ tantûm de cœna agit: fortè quod videt ſe in altera cauſa non poſſe conſiſtere: aut vt illis gratificetur qui ſubſtantialem præſentiam carnis Chriſti abſque Vbiquitate defendere conantur. Cum autem controuerſia inter nos ſit de ſententia verborum Domini, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS, ſibi & ſuis hoc ſumit quòd inhæreant verbis

Controuerſia de verbis cœnæ.

Christi, & eorum naturalem & simplicem sensum retineant, quod tamen falsissimum esse sæpè ostendimus. Simplex verborum sensus est, panem esse corpus Christi: demonstratiua enim particula HOC panem indicat, quod enim Christus accepit, fregit, distribuit, hoc dicit esse corpus suum: & panem esse subiectũ in hoc enuntiato de quo prædicetur quòd sit corpus Christi, vt veteres taceamus, Lutherus cuius maior quàm omniũ Patrum apud Aduersarios est auctoritas, apertè testatur. Respondeat autem nobis dominus Doctor cur hic à Luthero dissentiat, cuius tamen sententię assertor videri vult? Nos panem esse & dici corpus Christi sed sacramentaliter affirmamus: item verum corpus Christi dari & communicari nobis in sacra cœna vi & efficacia diuini spiritus, & fide spiritualiter à nobis percipi, credimus, vt communione ineffabili Christo iungamur, ac simus os de ossibus eius & caro de carne eius, ac ipse sit caput nostrum. Negamus autem corporis Christi substantialem præsentiam & coniunctionem cum pane, & eius consubstantiationem siue impanationem, qua fiat, vt ore simul cum pane substantia corporis Christi sumatur. Veram tamen veri corporis communionem quæ spiritu & fide fit apertè docemus.

HOC particula panem demonstrat.

Contra Iacobus Andreæ cum suis negat particulam, HOC panẽ demonstrare, aut idem valere has propositiones, Panis est corpus meum, & hoc est corpus meum, sed contendit cum pane, siue sub pane, aut in pane dari & distribui à ministro ecclesiæ verum & substantiale Christi corpus, & id non tantùm fide spiritualiter, sed ore quoq; corporeo sumi: sed hoc verba Christi non dicunt, ipsi hanc interpretationem afferunt. Probant tamen suam interpretationem egregijs similitudinibus, si vinum donetur in cantharo, pecunia in fisco aliquo, auena in sacco, dici ecce do tibi vinum, pecuniam, auenam, cum quis cantharum, fiscum, saccum hæc continentem porrigat. Sed hæ locutiones quamuis sint claræ & ex vsu notæ, non tamen sunt propriæ sed tropicæ: ipsi verò tropum in verbis Domini admittere nolunt, deinde scripturarum mysterijs hęc nequaquam congruunt: neque etiam affirmare audent corpus Christi pani inclusum esse, aut sanguinem eius eodem modo poculo contineri quo vinum cantharo.

Aduersariorum sententia.

Aduersarij falso iactant se seruare τὸ ῥητὸν.

Contra nostri docentes panem esse corpus Christi non quidem substantialiter, sed sacramentaliter quòd sit signum & figura corporis Christi, quod nobis communicatur non ore sed spiritualiter fide percipiendum, hanc suam sententiam multis rationibus probant, & similes locutiones ex sacris scripturis proferunt, quas tamen Aduersarij surda aure prætereunt. Interim clamant se retinere τὸ ῥητὸν simplicem & grammaticum sensum verborum domini, & quia ipsi falsa opinione decepti non vident aut videre nolunt, aliud verba Christi sonare, aliud ipsos, & ipsorum verbis non idem dici quod verbis Christi, sed sensum verborum Christi qualis ipsis esse videtur exprimi, ideò omnes item cæcos & surdos esse putant qui hoc non animaduertant. Hoc ipsum sedulò hic agit D. Andreas, & nos in inuidiam vocat quasi homines abducamus à simplicitate verborum Christi quam tamen ipsi minimè omnium retinent: interim fucum faciunt simplicibus, quasi simplicem sensum verborũ Christi, retineant. Atque vt ex Mulbrunensi colloquio apparet, D. Andreas studiosè subterfugit disceptationem de verbis Domini, sint ne tropica nec ne. Iactant omnes clara esse, sed an nõ tropi sępè clari sunt? & ipsi exempla tropica proferunt cum quibus verba Domini conferunt: & cum disceptetur quis sit verus & grammaticus sensus verborum, deinde quæ horum explicatio: illi pro argumento sumunt ipsa verba. Cum enim quæritur, an Christi corpus spiritualiter manducemus per fidem, an ore corporis inuisibiliter tamen, mox obijciunt Christum dixisse: Accipite & edite, HOC EST CORPVS MEVM, quasi verò hæc verba asserant corpus Christi substantialiter in pane esse & ore corporis manducari, quibus tamen hoc tantùm præcipitur, vt edant panem hunc quem Christus porrigens corpus suum vocat: cæterùm quod ipsi pro confesso sumunt panem esse substantialiter corpus Christi, aut corpus Christi substantialiter in pane esse, & cum pane aut sub pane dari, hoc ipsum controuertitur, & cum petimus vt suam sententiam aperto aliquo testimonio probent, & non sumant pro argumento ipsam quęstionem, exclamat Smidelinus quasi magnam ipsis iniuriam faciamus, & iniquissima postulatione vtamur, cum tamen sibi optimè conscius sit hanc esse argumentandi rationẽ vitiosam & ineptam

Aduersarij petunt principium Sophisticè.

ineptam,quæstioné argumenti loco sumere. Petimus vt ipse fatetur,apertum testimoniũ scripturę quo probetur, Christi corpus integrũ seruatis humani corporis proprietatibus,simul vno loco circumscriptum esse, & nihilominus incircumscriptum inuisibiliter,substantialiter,& corporaliter alibi existere. Proferũt ipsi verba cœnę, quibus inquiunt clarè asseri corpus Christi nobis substantialiter manducandum dari,& mandari vt ore corporis nostri id sumamus. Sed manifestum est non confici ex verbis cœnę hanc sententiã,nisi prius probent panem esse substantiale corpus Christi,aut in pane esse substantialiter corpus Christi pręsens:hoc nunquam probarunt,neq; probare vnquã poterunt, & ideò verba cœnæ perperam pro argumento assumunt, nisi hunc sensum antea demonstrarint,id autem si fecerint, non erit amplius inter nos controuersia.

Vera explicatio uerborum cœnæ.

Nos contra docemus & credimus verba Christi esse verissima quòd panis hic sit corpus Christi,nõ transubstantiatione aut consubstantiatione, sed quòd panis hic sit sacramentũ corporis Christi,signum,figura, symbolũ,significans nobis, & obsignans corpus Christi pro nobis verè in cruce fractum , & sanguinem eius verè pro nobis in nostri salutem profusum,hęc nostra quasi mancipio facta esse , sicut Paulus panem vocat κοινωνίαν corporis Christi, vt hæc verè nos alant & vegetent in spem vitæ æternę, longè efficacius quàm corpus ipsum alatur pane & vino. Quod sanè est ineffabile mysterium,quod non potuit significantius & efficacius exprimi quã ijs verbis quibus vsus est Dominus, Accipite,comedite,hoc est corpus meum. Neq; veritati verborum quicquam derogatur,si ea non accipimus substantialiter , sicut verba quibus Christus vitis dicitur nos palmites,vera sunt,& tamen non substantialiter intelliguntur: & sanguine Christi abluimur in baptismo quando aqua abluimur,neque tamen aqua est substantialis sanguis Christi , aut eum substantialiter continet. Atq; cum his verbis Christus sacramentum instituerit, certum est illa pro ratione & natura sacramentorũ intelligenda esse. Sacramentum autẽ Augustino definiente est sacræ rei visibile signum. Quare cum panis sit sacramentũ corporis Dominici pro nobis in cruce fracti,eiusdem sacratum signatum existat necesse est:itaq; quod de pane hoc dicitur iuxta sacramentorum,hoc est

O

ſignorum naturam & analogiam explicari debet, quam talem eſſe Auguſtinus iterum multis in locis oſtendit, vt ſymbola accipiant nomina rerum ſignatarum: In fœderibus faciendis communis loquendi vſus eodem modo nomina permutat, & ſigno nomen rei ſignificatæ tribuit. In omnibus quoq; ſacramentis veterum nomina ſic permutantur, & tamen omnes intelligunt nomen rei ſignificatæ ſacramento attribui ſymbolicè, neq; quiſquam vnquam hæc realiter & ſubſtantialiter explicauit. Sic vt veterum ſacramenta prætereamus, Baptiſmus dicitur ablutio peccatorum & regeneratio ſpiritualis, Item dicitur in Baptiſmo Chriſtus indui, & nos ei commori & ſepeliri dicimur. Præterea verbum Dei promiſsio inquam accedens facit ſacramentum, ſicut dicitur Accedat Verbum ad elementum & fit ſacramentum, promiſſio aũt non fit ſymboli reſpectu, ſed eorum qui vtuntur: itaq; cum panis dicitur corpus Chriſti, non pani vnitur corpus Chriſti, ſed ad ſumẽtes pertinet promiſſio, qui pane illo ſumpto indubitatè credunt corpus Chriſti per ſe datum vt eo nutriantur per fidem: Atq; ſic Paulus ait panem quem frangimus eſſe communionem corporis Chriſti. Adhæc cœna Domini inſtituta eſt ad commemorandam mortem eius, & cõmunionem noſtram cum Chriſto, vt viuamus in Chriſto & fiamus os ex oſſibus eius & caro de carne eius: hoc autem non conſequimur carnali manducatione oris noſtri, ſed fide vita illa in ſacramentis propoſita acquiritur, & Chriſtus per fidem in nobis habitare dicitur. Quòd ſi verba adiuncta, & omnes circumſtãtias probè expendamus, quod ſemper in explicatione ſcripturarum faciendum eſt, omnibus his confirmatur noſtra interpretatio: quæ tamen omnia nunc prætereo, quòd ſæpe & diligenter ſint à noſtris expoſita.

An verba cœnæ interpretanda.

Quod autem aduerſarij reijciunt omnẽ interpretationem verborum Chriſti, & negant in his eſſe tropum aliquem, imò in ſacramentis noui teſtamenti nullam eſſe figuram, & ſignificationem **kein Deuteley**: falſiſſimum eſt: & ipſi facto & re contradicunt, nam verba Chriſti nõ ſimpliciter retinẽt vt diximus, ſed ea interpretantur, & abſq; figura ſeu tropo ea explicare non poſſunt: ac manifeſti tropi ſunt in verhis cœnæ, quos acerrimi troporum hoſtes negare non poſſunt, vt cum Paulus & Lucas de

de poculo loquuntur. Quòd si nihil figuræ & significationis est in sacramentis noui testamenti, non sunt signa & sacramenta, quandoquidē illis definitio sacramentorū nō conuenit. Taceo nunc patres qui tropum in verbis cœnæ agnoscunt & figuratiuas locutiones esse testantur, testimonia horum plurima nostri protulerunt ex Dionysio, Origene, Tertulliano, Basilio, Chrysostomo, Augustino, & alijs. Interpretatio autem Aduersariorum qualis sit sæpe dictum est: nititur hęc falsæ opinioni animo ante conceptæ de corporis Christi substantiali præsentia: neq; ægre ferat D. Andreas quòd ipsis tribuimus crassam & Papisticam opinionem carnalis præsentiæ, quandoquidem Lutherus in Confessione maiori & minori, Papistarum crassam opinionē probat.

Aduersariorum falsa interpretatio verborum cœnæ.

Pugnat autem opinio hæc substantialis præsentiæ & vnionis corporis Christi cum pane, cum definitione, natura, analogia & fine sacramentorum, quam nobis in omnibus alijs sacramentis proponunt sacræ literæ. Contraria item est doctrinæ Christi Ioann.6. vbi vera manducatio carnis Christi docetur, & carnalem & corporalem manducationem nihil prodesse ostenditur. A Christo ipso confutatur qui negat se amplius in mundo præsentem fore, aut fideles ipsum habituros: quod non nisi de absentia corporis eius intelligi potest: si enim illud præsens esset etiam inuisibiliter vt aduersarij volunt, quid opus erat pro se Paracletū promittere consolatorē, qui ipse quoque inuisibiliter adest. Tollit hæc doctrina veritatem humanæ naturæ in Christo, & illi ante passionem corpus incircumscriptum, inuisibile & per omnia dissimile nostro corpori tribuit, Articulum fidei de Ascensione in cœlos euertit. Et hæc manifesta sunt ex scriptis Aduersariorum, qui disputationibus suis de Vbiquitate corporis Christi, mysterium incarnationis ita quæstionibus nouis implicarunt, vt ne ipsi quidem se euoluere possint. & palam ex Ascensione euanescentiam & disparitionem faciunt: & vt statuant corpus Christi substantialiter præsens in pane, negant id esse in cœlo, quandoquidem D. Andreas cœlum nondum creatum esse asserit. Iudicent ex his Christiani lectores quid de hac theologia sentiendum sit, quæ vt vnum tropum in sacramentis scripturæ

vſitatum non admittat, articulos fidei tropicè interpretatur, ex hiſtoria figuram facit, & partim non tantùm cœlum terræ, ſed etiam cum inferis miſcet, vt Brentius in ſua doctrina de cœlo Vbiquario, partim tollit, vt nuper ipſe D. Andreas.

Porrò quæ ad noſtram ſententiam impugnandã D. Andreas profert de manducatione ſacramentali, de diſcrimine ſacramentorum veteris & noui fœderis, ad ea in communi noſtra Apologia reſpondimus pag. 16. item 133. & deinceps. Repetit etiã explicationem vocum Realiter & ſubſtantialiter, & affirmat tantùm ſignificari his præſentiam veri corporis non autẽ modum præſentiæ: ſed ſi non contendunt de modo præſentię, cur nos damnant, qui veri corporis pręſentiã nõ in vniuerſum negamus, ſed reijcimus localem & corporalem modum præſentię, quem ipſi quoq; improbari ſibi aiunt? Si nõ contendunt de modo pręſentiæ, cur tantopere rixantur corpus Chriſti in pane eſſe, cum eo manu miniſtri porrigi, & ore corporis ſumi? ſed vt in noſtra Apologia illis obiecimus modũ præſentiæ exprimunt, qui tamen ineffabilis illis dicitur, & verè ineffabilis eſt, qui conſiſtere non poteſt cum contradictoria affirment.

De omnipotentia.

Alterum argumentum quo Aduerſarij vtuntur, eſt ab Omnipotentia Dei deſumptum, ad quod bifariã noſtri reſponderunt: Primum argumenta deſumpta ab omnipotentia non concludere, niſi prius de voluntate Dei conſtet, itaq; illis probandum eſſe quòd hęc ſit Dei voluntas, vt corpus Chriſti ſimul ſit circũſcriptum & in vno loco pręſens, & rurſus incircumſcriptũ & vbiq; præſens. Deinde addiderunt Dei omnipotentiã infinitam eſſe, ſed tamen quædam ab illa excipi quæ ſuo vitio & defectu fieri non poſsint, ſalua & incolumi nihilominus diuina potentia, vt Deum mentiri impoſsibile eſt. Ita quæcunq; naturæ rei & definitioni repugnant, ideoq; contradictionem implicant, hic excipiuntur, nam ſi Deus talia faceret, ſimul idem vellet & nollet, quod eſſet inconſtantiæ, & hoc non nos ſoli docemus, ſed conſtans eſt omnium theologorum ſententia: neque ita hebes eſt Doctor Smidelinus vt hæc vera eſſe non cernat, pręſertim cum idem affirmet Clariſsimus ipſorum philoſophus, quem honoris cauſa nomino, Doctor Scheggius: ſed conatur nos apud imperitos in odium adducere quaſi negemus Dei omnipotentiam,

tiam, aut Christum seruatorem non agnoscamus omnipotentem qui possit ea facere quæ vult. Sed illi hoc ostendendum erat, Deum velle corpus Christi vbique præsens esse, siue etiam Christum promisisse hanc substantialem Vbiquitatem corporis sui: item non esse hæc cõtradictoria, Corpus Christi substantia sua & actu primo esse in vno loco, & idem actu primo & substantia sua non esse tantum in vno loco sed in pluribus, vel etiam vbique: nam de substantiali præsentia, inter nos disputatur: & hoc illi obiecimus, & rationem nostram perspicuè exposuimus in nostra Apologia, ac ostendimus fucum esse, cum fingit naturaliter Christi corpus in vno loco esse, sed modo maiestatis aut fessionis ad dexteram Dei vbique esse: nam si substantia sua & actu primo vbique est, non ponitur diuersus modus, sed diuersa causa præsentiæ: si loquitur de actu secundo, de eo non est controuersia.

Quapropter nequaquam illi sumus qui negemus principia, sunt enim principia nostra sacræ literæ quibus firmiter credimus, & scripturas collatione aliorum locorum, habita ratione argumenti de quo agitur, & eorum quæ antecedunt, omniumque circumstantiarum, secundum analogiam fidei interpretamur. Sunt etiam principia nostra articuli symboli Apostolici, quibus simpliciter fidem habemus. Principium natura notum est, nihil simul verum & falsum esse, quod nobis immotum manet. Vos autem tantùm vt pertinaciter defendatis Papisticam opinionem de substantiali præsentia carnis Christi in pane, primùm naturæ principia conuellitis, atque contradicentia simul vera esse per omnipotentiam Dei probare vultis, deinde labefactatis scripturam & articulos fidei nostræ, ex Ascensione Christi euanescentiam siue disparitionem facitis: quamuis enim hoc Andreas negare ausus fuerit, tamen contrarium ostendimus ex scriptis Brentij, Illyrici, Andreæ Musculi, & nunc non pudet alios hoc idem publicè magna contentione asserere. Quid autem hoc aliud est quàm Martioniticam hæresim ab inferis reuocare, & Machometo viam sternere? Eadem serie historiæ Euangelistæ describunt Christi seruatoris nostri passionem, resurrectionem, ascensionem in cœlum. Noui isti theologi ascensionem faciunt euanescentiam siue disparitionem, & illis non

Aduersarij negant principia.

videtur conuenire maiestati Christi vt illi tribuatur secundum simplicem scripturarum sensum corporalis motus & locatio. Quid igitur obstat quo minus cum Machometo negent Christum verè passum, sed disparuisse, & Simonem Cyreneum pro ipso fuisse crucifixum? num passio & mors magis pugnat cum maiestate Christi quam ab ipsa conceptione illi tribuunt, quàm ascensio in cœlum? Si enim articulum fidei licet illis impunè ex simplici sensu in allegoricum detorquere, & idem facere in clarissima narratione historiæ, qua fronte se opponent alijs idem in coniuncta historia tentantibus? Attendant hæc quæso pij homines & diligenter expendant, neque enim temeritas prophana immutandi articulos fidei nostræ in vno consistet, sed longius aliquando progredietur.

Cæterum quod disputationē de Cœna Domini attinet, nos quoq; libēter eā iudicio Christiani lectoris relinquimus, modò vtranq; partem audiat, & veritatis studiosus sit, quam Andreas magis obscurare quàm illustrare studet. Atque quæso ne lectori molestū sit, si denuo hic repetā statum cōtrouersię, quid primò & potissimū dijudicandum sit, antequā longius in hac cōtrouersia vtrinq; progrediamur, nam id studiose dissimulat Andreas.

Prima controuersia. Quæstio vt diximus, est de verbis Domini, Hoc est corpus meum, ac inter nos non conuenit, quid demonstret vocula HOC, nos dicimus demonstrare panem, & nostram sententiam ex contextu historiæ simpliciter deducimus, id enim quod Dominus accepit, benedixit, fregit, discipulis dedit, ostendit hæc particula, itaq; hæ propositiones æquipollent, Hoc est corpus meum, & Hic panis est corpus meum: confirmauimus etiā nostram sententiam auctoritate Patrum & ipsius Lutheri, & complurium doctorū nostrę ætatis testimonijs. Hic primò nostram sententiā confutare debebat D. Andreas, quod tamen non facit neq; potest: itaq; hanc controuersiā tacitus prætereit, & pro confesso sumit eum sensum verborū quem ipse fingit, & de quo controuertitur: non tantum inter nos, sed inter ipsos Lutheranos: alij enim cum Luthero volunt panē demōnstrari & dicunt panem esse substantiale corpus Christi (quæ sententia absurda est sequeretur enim panem pro nobis traditum esse, & impossibilis quoq;, quoniam manifestam repugnantiā includit, adeò vt Papi-

stæ quò

ſtæ quò hæc incõmoda effugerent,transſubſtantionẽ confin xerint)Illyricus particula HOC ipſum corpus demonſtrari ait, & rei ex pluribus compactæ partem vnam oſtendi.Idem rurſus alibi neq; panẽ neq; corpus Chriſti demonſtrari ait, ſed totum cibum pane & corpore conſtantẽ.Iacobus Andreæ ſimilem locutionẽ eſſe contendit,atq; cum allato cantharo dico hoc eſt vinum,& cunis cum infante allatis dicitur, hic eſt infans:quæ locutiones non ſunt propriæ,ſed per ſynechdochen aut metonymiam pars pro toto aut continens pro contento accipitur.Cum autẽ tantam Lutheranorum conſenſionẽ iactet D.Andreas,debebat hanc diuerſitatẽ ſententiarũ prius è medio tollere,& certis demonſtrationib. probare hũc eſſe ſenſum verborũ domini, quod cum pane coniunctum ſubſtantiale corpus Chriſti ore ſumatur ab omnibus qui panem hunc ederint.Quoniã verò diſputationem & explicationem verborum Domini ſubterfugit,qua fronte audet pro argumento proferre quod in quæſtione eſt, & nos calumniari quod impudenter & improbe petamus, ne verba Chriſti pro argumento afferat? Nos verbis Chriſti fidẽ magis habemus quàm vel ipſe vel quiſquã ſuorum, nolumus autẽ ea in argumentũ afferri hoc ſenſu quem non ipſa verba præ ſe ferunt,ſed ipſi affinxerunt,& nondum probarunt: hoc enim vt ſæpe diximus eſt ſophiſma petitionis principij. Ante omnia igitur ſtatuendum eſt de ſenſu verborum Domini,antequam vlterius progrediamur, & priuſquã his argumenti loco vti poſsint.

Altera calumnia vtitur cum fingit nos conuellere omnipotentiam Dei,aut Filium hominis negare omnipotentẽ, & eum à dextra maieſtatis detrahere,quę mendacia publicè &priuatim de nobis ſpargere ipſũ nõ pudet, ſed ea ſatis noſtris reſponſion. confutata ſunt ſi modo liceret illas audire atq; legere:& quis hic ſit ſtatus controuerſiæ ſupra oſtendimus, vt videat Lector quo reſpicere debeat. Quare cum meris calumnijs vtatur,& veritatẽ de induſtria obſcuret,iudicẽt viri boni quo loco haberi debeat. Obijcit Lutherum qui ſcripta cõfeſsione maiori & libro Quod in verbis cœnæ maneat firmum τὸ ῥητὸν,tantum poſtea addiderit Confeſs.minorẽ:ſed cur nõ addit duo priora ſcripta ita cõfutata fuiſſe à Zuinglio & Oecolamp. vt nõ haberet quod reſpondere poſſet? cur nõ addit poſt priora illa ſcripta in Marpurg.cõuentu

pacem inter Lutherum & aduersarios factam, & postea Concordiam studio Buceri denuò initam, & ita demum Lutherum contra pacta & conuenta Confessionem istam minorem edidisse, qua apud moderatos homines exiguam laudem adeptus est.

De locali præsentia.

Postea duo coronidis loco nobis obijcit. Primum quòd malignè verba ipsorum huc detorqueamus quasi localem præsentiam affirment, cum verba essentialiter & corporaliter duntaxat ab ipsis opposita sint nostrę significationi corporis Deuteley, & falsæ doctrinæ, quod Christus tantùm diuinitate præsens sit, secundum humanitatem nihil nobiscum in terris agat. Etsi autem hæc satis explicata sunt in nostra Apologia, pauca tamen hic repetam. Primùm agnoscimus eos localem præsentiam corporis negare: sed interea substantialem veri corporis præsentiam affirmant, corpus autem verum & circumscriptum quale Christum habere scripturæ testantur, vbicunque est, substantia sua ibi localiter est, alioqui non amplius verum corpus est, itaq; id quod verbis negant, nihilominus ex eorũ doctrina consequitur. Deinde vtuntur his formis loquendi quæ vulgo absque localitate aliqua vix intelliguntur: corpus Christi cum pane in eodem loco esse, pani vniri absq; interuallo, manu ministri porrigi, ore eius qui sacrum panem accipit sumi. Damnant eos qui negant corpus Christi cum pane in eodem loco præsens esse, qui ponunt distantiam localem inter signum & rem signatam, & nos qui localem pręsentiam in sacramentis non admittimus, ferre non possunt. Non debent igitur ægrè ferre, si dicimus eos docere talem præsentiam corporis Christi, quæ etsi non absolutè quodam tamen modo localis existit.

Christum secundum humanitatem nihil nobiscum agere, falso nobis attribuitur.

Quod autem dicit nos affirmare Christum secundum humanitatem nihil nobiscum in terris agere, calumnia est ante confutata, quam tamẽ verbis nostris probare conatur, eo quòd scripserimus carnẽ Christi nunc hic infra in terris non amplius nobis prodesse, neq; hic infra esse: & hinc concludit nos affirmare carnẽ Christi in cœna nobis nihil prodesse. Verùm nisi odio nostri excæcatus esset, facile videre poterat nos loqui de substantiali siue locali præsentia carnis Christi. Quæstio illic proponitur an naturale Christi corpus verè præsens adsit in cœna, item an panis Domini sit ipsum naturale corpus eius, quemadmodum

modum Lutherus docuit: Contra nostri adductis locis scripturæ de absentia Christi & discessu ex hoc mundo, ex illis concludunt corporalem præsentiam corporis Christi in terris pugnare cum scripturis, ideoque nos hanc præsentiam & eius vtilitatem non posse agnoscere. Carnem eius in terris vtilem fuisse ad consummandam salutem, nunc non vtilem esse eius presentiam hic inferius, nec eam inferius esse, sed supra in cœlis, ac illic multum nobis prodesse, vt in sacerdotij & regni Christi ratione explicatum sit. In eadem sententia nunc quoq; persistimus, & substantialem siue corporalem præsentiam corporis Christi in terris negamus, sed anathema esse pronuntiamus eum qui dicit Christum secundum humanitatem nihil nobiscum agere: quomodo enim Christus mediator noster esset, si secundum humanitatem nihil nobiscũ agit? sed aliud est Christum secundum humanitatem nobiscum agere, quod nunquam negauimus, & energiam humanitatis non minus clarè quàm Aduersarij prædicauimus, & aliud rursus est humanitatem Christi substantia sua nobis in his terris præsentem esse.

Altera obiectio est, quòd falsò ipsis affingamus Capernaiticam manducationem carnis Christi, & quòd tantùm agnoscamus corporalem manducationẽ panis & vini, & fidem in Christum, reijciamus autem veram manducationem carnis Christi quæ ore fit in Sacramento, ad confirmandam fidem, quam semper agnouerit ecclesia. Scripsimus de hac re Apologiæ nostræ pagina 28. Ibi ex sententia Chrysostomi constituimus duplicem manducationem ipsius carnis Christi, carnalem, quæ est Capernaitica, et spiritualem siue mysticam. Aduersarij volunt carnem Christi ore manducari. talis autem manducatio non est spiritualis, non enim fit spiritu, sed ore corporis, quare carnalis est, & propterea Capernaitica: etsi enim non particulatim corpus Christi in frusta comminutum se edere dicant, tamen cùm ore & dentibus fiat hæc manducatio, vt Lutherus in confessione maiori scribit, carnalis est, non spiritualis, spiritus enim non edit Christum ore corporeo. Quæ nam sit sacramentalis manducatio, exposuimus 133. pagina Apologiæ, quo loco apparet quantum ea differat & à carnali tantùm & nuda panis manducatione, quam nobis tribuunt, & ab orali & substantiali man-

Manducatio carnis Christi duplex tantum.

ducatione quam ipsi nobis obtrudunt, contra simplicem verborum Christi sensum, & omnium sacramentorum rationem nuper à se confictam. Conatur autem fucum facere dum tria proponit quæ verè Christianus habeat in vsu Sacramenti, fidē, panem & vinum, & corpus atque sanguinem Christi. Sed cur fidem cum partibus Sacramenti coniungit? Nonne duæ tantûm partes sunt Sacramentorum, terrena & cœlestis, signum & res signata: duob. itē instrumentis hæc sumimus, sensibus corporis signum: spiritu & fide rem signatam? Et corpus Christi vtroque modo sumi dicitur, ore quidem sumitur sed in Sacramento, non ipsa substantia corporis Christi, sed eius Sacramentum: spiritualiter autem in ipsa veritate manducatur, vt Augustinus docet. Et cum veritas hic opponitur Sacramento, non veritas ad modum sumendi refertur, sed ad corpus Christi: modus enim sumendi expressus est cum dicitur spiritualiter sumi. Quare cum veteres dicunt corpus Christi in Sacramento aut in mysterio edi, non loquuntur de manducatione reali substantiæ carnis Christi quæ ore fiat, attamen non carnali vel terreno & locali modo, quod ideò mysteriū sit quòd substantialis præsentia occulta sit: sed mysterium idem est atque Sacramentum, & in mysterio reali præsentiæ opponitur à Chrysostomo in Matthæum homilia vndecima operis imperfecti, vbi inquit, In vasis quibus Sacramentum administratur, non esse verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius contineri. Atque cum Sacramenti siue mysterij proprium sit aliquid significare, immeritò nostram interpretationem reprehendit. In mysterio igitur, vel in Sacramento, idem atq; Sacramentum edere quod suo modo dicitur corpus Christi, relatione arcana & efficaci vi spiritus Sancti, non consubstantiatione aliqua, aut vnione substantiali corporis cum pane: & hoc est quod veteres corpus symbolicum & mysticum vocant, veluti Origenes in Matthæum, qui etiam scribit cibum hunc iuxta id quod materiale habet, in ventrem abire, atque in secessum eijci: huic autem opponit ipsum Verbum quod factum est caro verusque cibus, quem nullus malus potest edere. Sunt autem Sacramenta mysteria & arcana, non quòd substantialiter caro Christi sub

In mysterio.

pane

pane delitescat : sed quòd symbola & signa sunt rerum spiritualium & cœlestium, quæ non humana ratione sed fide & spiritu cernuntur & cognoscuntur, ideóq; initiati tantùm, in fide Christi instituti & spiritu donati hæc agnoscunt. Sed hæc in Apologia nostra pagina 43. & sequenti rationibus, & veterum testimonijs probauimus, quæ vbi confutarit Andræas, plura illi proferemus. Nam quod ait Christi verbis Accipite, edite, hoc est corpus meum, clarè doceri, corporis Christi substantiam verè & realiter ore manducari, & hanc fuisse fidem & doctrinam omnium piorum doctorum tam veterum quàm recentium : hoc inquam tam falsum est, quàm quod falsissimum, & nostri libris pluribus in lucem editis, & hanc interpretationem verborum Christi, à verbis & ab ipsa sententia seruatoris dissentientem confutarunt, & quæ fuerit sententia veteris ecclesiæ copiosè exposuerunt. Horum vel summa capita repetere longum foret & inutile, quoniam hæc legere & cognoscere Aduersarij prohibent: quibus autem hoc facere licet, & veritatis indagandæ studio tenentur, legant quæ Oecolampadius & Martyr de Patrum testimonijs scripserunt: & præter hos innumeri ferè libri prostant in quibus hæc discutiuntur.

Nihil noui proferimus.

Ait nos nihil noui proferre, sed ea quæ dudum sint confutata: sed quam bene nostra cõfutarint Lutherus, Brentius, Andreas & alij, iudicet ecclesia: rectè tamen dicit nos nihil noui proferre, ab initio hucusque retinuimus & in posterum Deo volente retinebimus eandem doctrinæ formam summo consensu, sermo quoque noster non est, est & non, sed constans & verus : sed nostri Aduersarij noua dogmata & veteri ecclesiæ inaudita proponunt, & subinde mutant genus doctrinæ, & non tantùm cum alijs aut inter se, sed vnus quisque secum ipse pugnat, quod exemplis allatis de Luthero, Brentio, Apologiæ nostræ pagina secunda, tertia, & plurimis locis de Iacobo Andrea ostendimus. Sibi ergo habeat hanc laudem quòd subinde noui aliquid pariat, veluti superiori libro nouum dogma peperit, Cœlum nondum esse creatum, & tamen Christum in cœlos ascendisse, & in cœlis esse : ac miror eum hunc suũ partum non defendisse hoc libro contra nostrorum tela in ipsum coniecta.

Nostra non sunt confutata.

Sed si nostra omnia argumēta tam infirma sunt & dudum profligata, in Lutheri Confessione maiore, & libro de verbis cœnæ, & Andreana defensione testamenti Brentiani, cum libri in omnium manibus versentur, cur tam seuerè vetant & diligenter cauent ne nostri libri, ac saltem Apologia nostra legatur, quò vtriusque partis rationibus auditis & examinatis pij lectores de tota causa pronuntiare possint?

Vellicat deinceps viros doctos & bonos, quibus ipse nullo modo comparandus est, impunè enim se existimat his insultare posse, quibus non licet suam causam agere & se tueri: neque facilè alteri licebit eos tueri, ne dum illos defendimus, Principes viri se oppugnari credant. Obijcit illis horrendam & summam vt videri vult blasphemiam, quòd Christus secundum humanum spiritum, non habeat plenam notitiam Dei, & omnium operum eius, vt sciat omnia quæ ab æterno fuerunt aut futura sunt. Verùm cum Iacobus Andreæ mala fide aliorum dicta citet, fieri potest, vt hic quoque verba ipsorum pro suo arbitrio detorserit, atque cum ipsi fortè distinxerint, notitiam quam habet secundum humanam naturam ab æterna & infinita scientia Dei, & alteram huic non exæquandam dixerint, ipse verò scribat eos Christo secundum humanam naturam plenam notitiam Dei & operum eius adimere: Quare cum non addat à quibus & vbi hæc scribantur, nō est quod ad hæc respondeam: hoc tantum dico, rationem ab ipso subiectam non esse firmam, hominem Christum Deum esse, & propterea scientiam humani spiritus parem esse scientiæ diuinitatis. Est enim homo Christus Deus, sed non ex natura humani spiritus: si autem ex natura humani spiritus Deum dicit, non autem ex natura verbi sustentantis hominem, tum humana natura statuitur mutata in diuinitatem ex Eutychetis sententia, ad quam sæpe inclinat noster Doctor, id quod manifestis argumentis in Apologia docuimus.

De Eusebij Cleberi causa.

Postrema parte libri D. Andreas, D. Eusebio Clebero respondit, quem ob Vbiquitatē Memminga eijci curauit: virum, vt hi qui eum norunt, sanctè testantur, doctum & pium: ea vero quæ illi obijcit pleraq; ipsius Cleberi personam attinent, qui & antea publico scripto se defendit, & hanc accusationem peculiari

culiari libello refutauit, quare hæc tantùm obiter attingam. Primùm eum mendacij accusat, quòd Memmingenses post acta Concordiæ, nostræ sententiæ fuisse arguat: eos enim ait anno 1536. reuocasse suam confessionem Cæsari oblatam, & priorem doctrinam mutasse. Sed in eo seipsum mendacij arguit Andreas, nam Concordia non ita est instituta vt priorem doctrinam recantarint, & suam confessionem damnarint vrbes illæ quatuor quæ communi consensu eam ediderunt: id quod acta Concordiæ testantur. Et quod Augustanæ confessioni subscripserunt, non est argumentum defectionis à nostra doctrina: articulus enim X. Augustanæ confessionis ita verbis conceptus est, vt nos eum sano sensu recipere possimus, atque ita V. Cl. Ioannes à Lasco Augustanæ confessioni subscripsit, quem tamen perpetuò nobiscū consensisse negari non potest. Præterea Geruasius Scholasticus, pastor primarius Memmingensis ecclesiæ, librum proximo anno post initam Concordiam edidit, in quo nobiscum consentit, idq; verbis eius citatis Cleberus in sua Defensione edita ostendit. Idem cum post bellū Germanicū & promulgatū Interim, coactus Memminga discedere ad nos Tigurū profugisset, & nostram confessionem probauit, & ab ea se nunquam discessisse testatus est. Prouocat etiam Cleberus ad senum testimonia, qui optimè testari possint, an post Concordiæ acta, doctrinæ genus mutatum sit: cui non video cur minus fidei haberi debeat quàm Andreæ, toties conuicto falsi.

De sua confessione, quam ipsi Andreas obijcit, Cleberus ita respondet, se neque Zuinglianam doctrinam vsquam illic damnasse, neque mentionem aliquam fecisse oralis manducationis impiorum, quam ipse vult notam esse dignoscendi Zuinglianismi, neq; vsum esse verbo substantialiter: iniuriam igitur sibi fieri ab Andrea, qui asserat se olim aliter quàm nunc sensisse. Et certè quod me attinet, non mirarer si nostram sententiam quam probabat, non apertè ab initio profiteri ausus fuisset, tantū enim odium nobis aduersarij vbiq; concitant, & tanta crudelitate nostros prosequuntur, vt multi viri boni nō ausint palàm profiteri quid sentiant, qui taciti secū hanc ecclesiæ conditionem atq; calamitatem deplorant. Atq; ita bonus vir vt ecclesiæ inseruire posset & pacem in ea conseruare, alteri quoq; confessioni colle-

" gę sui cum exceptione subscripsit, hac forma: Hanc confessioné
" vt vera & orthodoxa est ita eam recipio, eidemq; libenter & ex
" animo subscribo, ita tamen vt legendo discam, & discendo in
" spiritu proficiam, Quæ autem vis sit huius exceptionis Smidelinus nouit, qui ipsum suis articulis hac forma subscribere noluit. Quibus autem verbis subscriptionem suam exposuerit, & quæ in conuentu fratrum dixerit Cleberus, hic commemorare longum esset.

Quod postea obijcit de communione humanæ naturæ in in Christo cum diuininitatis suæ omnipotentia, ad id satis perspicuè Cleberus in sua Apologia respondit: & dudum Heidelbergenses Theologi ex hac latebra Andream extraxerunt, & eius sophisticam detexerunt, & in nostra Apologia eadem ambiguitas explicatur, pag 74. & 75.

Postremò ne quid intactum relinquat, Clebero obijcit librum eius à viris doctis eiusdē sententiæ emendatum & correctum esse, neq; tamē quicquam habere ad quod non dudum responsum sit. Sed hoc Cleberus negat, & illi fidem habeo, vidi enim exemplar manuscriptum antequam ederetur, à quo nihil differe publicatum exemplar agnosco: neque tamen in hac re quicquam peccatum fuisset, quod meritò Clebero posset obijci. Sed vult scilicet Andreas in vno Clebero multos heroas vincere & prosternere. Imò pro victis habet, quando omnia ante confutata gloriatur: ita enim solet nunc respondere ad argumenta, quibus firmis rationibus satisfaccre, aut nouis sophismatibus eludere non potest. Iudicent autem pij inter nos & ipsum de his confutationibus: & quoniam hactenus impetrare non potuimus vt publicè in libera aliqua & pia synodo causa hæc disceptetur & dijudicetur, rem omnem summo iudici & capiti ecclesiæ Domino & seruatori nostro Iesu Christo committimus, eumque rogamus vt inter nos & aduersarios dijudicet, ac pulsis Papistarum & Sophistarum tenebris, claram sui agnitionem omnibus ipsum inuocantibus donet. Amen.

CARMINA DOCTORVM VIRORVM IN OBITVM D. HENRICI BVLLINGERI, ECCLEsiæ Tigurinæ Pastoris fidelissimi, scripta.

ELEGIA

DE MILITIA CHRISTIANORVM, IN HIS TERRIS ADVERsus Satanam, carnem & mundum militantium, in obitum CL. V. verè Christiani militis, Domini Henrici Bullingeri, conscripta à Rodolpho Gualthero F.

Militat omnis homo, qui CHRISTI *numen adorat,*
Qui CHRISTVM *sequitur, militat omnis homo.*
Quam petiêre duces virtutem in milite forti,
Hanc etiam in seruis vult Deus esse suis.
Militiæ vulgò partes ac iura feruntur,
Tutari patriæ dulcia tecta suæ:
A socijs arcere minas, punire tyrannos,
Hostis & incursus continuisse vagos.
His causis populos mars in fera concitat arma,
Et dulces somnos classica pulsa fugant.
Quid si sint eadem turbæ patienda fideli,
Nec minor hos crebro territet hoste metus?
Falsa quidem multis, nec non ingrata videntur,
In proprio quiuis horret & ista sinu.
Nec tamen immeritò iocus est his mascula virtus,
Ocia queis vitæ mollitiesq́ placet:
Felicesq́ putant, quibus est in segnibus annis

Concessum læto claudere fine dies.
At quos sancta mouent diuini oracula verbi,
Inscriptiq́ optant ciuibus esse Dei:
Quos tenet inuictæ studium virtutis, amorq́,
Placandiq́ Deum sacra cupido trahit:
Hos manet insomnis cura, & per mille labores
Difficilis cliuis huc via præbet iter.
Hostis adest etenim dextrâ læuâq́ timendus,
Vicinoq́ metu terret vtrunq́ latus.
Hostis, sæuitiâ quo non immanior alter,
Nec magis astuta calliditate vafer.
Nam neq́ Busiris nobis contrarius armis,
Qui sæuis homines pabula fecit equis.
Nec Phalaris, cuius feritas cantata Camœnis,
Qui falsum lento torruit igne bouem.
Scyllâue virgineam canibus summista figuram,
Quæ fœdo Siculas inguine terret aquas.
Aut quæ præterea ruitura potentia mundi est,
Quam vero absimilis pagina prisca canit.
Este procul ludiq́ leues, & fabula falsa,
Securis nimium fida ministra iocis.
Nobis, circumstant quos magna pericula rerum,
Occupet hac nullum fabula parte locum.
In nos assurgit SATANAS, qui peruigil hostis
Assiduè sancto sanguine bella gerit.
Cui facile est vel verba dare, et componere fraudes,
Artibus & cæcis exagitare pios.
Vel forti pugna superare & viribus altis,
Cùm meliùs robur vis & aperta placet.
Semper enim vt noceat nobis in vtrunq́ paratus,
Plus mille instructus fraudibus atq́ dolis.
Insuper armatum terrendis viribus infert
Horrendum, æterno quod furit angue, caput.

Addit

Addit se comitem huic subiecta potentia MVNDI,
Immundis moles tanta referta malis.
Nec tantùm hîc iris mortalia corpora spumant,
In cinerem & fumos rursum abitura breui.
Agminaque in terris errantia multa ferarum,
Quæ natura homini tota inimica creat.
Sed quocunque oculos vertas, contraria cernis,
Immanesque hostes angulus omnis habet.
Hæc quoque, queis sensus possunt gaudere videri,
Nil nisi mortem animis perniciemque struunt.
Et tanquam tranquilla forent reliqua omnia nobis,
Tristia ceu nusquam cætera bella forent,
Proh dolor, infidum nutrimus pectore ciuem,
Interiùs nobis quo nihil esse potest.
Nanq; CARO, *insomnes pro qua tot ducimus horas,*
Vt vigeat varijs accumulata bonis:
Insidias nobis struit vndique, & omnia tentat,
Vt captos misera sub ditione premat.
Et pro qua toties caput obiectare periclis
Nos iuuat, atque animo tristia cuncta pati,
Cum Satana & Mundo nostris, heu, fœdera pangit
Hostibus, & domino perfida facta suo est.
Cumque illam exigui scintilla pudoris aperta,
Propriaque vtilitas, bella mouere vetet,
Hoc agit, vt viuos fati sortisque futuræ
Ignaros, longa calliditate necet:
Blanditijsque hosti sopitos tradat, herumque
Æternùm perdat proditione sua.
Hinc nobis tantò grauiora pericla parantur,
Quantò vis minor est inferiorque dolo.
Quippe vbi nec causas, nec apertos cernimus ictus,
Atque vbi, quà veniant tot mala, cæca via est:
Cæca etiam ratio est, cæca est quoque cura medendi,

Incertum est & opem qua bene parte feras.
Cui non aspergat gelidus pia tempora sudor?
Attonito cui non ossa timore tremant?
Cùm subeunt hostisque, & ineuitabile bellum,
Et variæ fraudes, exitijque metus?
Ergóne securæ celebrabimus ocia pacis,
Stertemus victi membra sopore graui?
Obiectum miserè flemus capiti esse tumultum,
Cùm Mauors dubias miscet vbique manus.
Nunc maris in tantum ventis iactamur, & hostem
Spernimus, inque iocis delituisse iuuat?
Proque armis gerimus saturatas murice vestes?
Pro clypeo imbelli tangitur arte lyra?
Fœminéoque (nefas) frontem redimimus honore
Segnes, delicijs mollis Adoni tuis?
Hæc pax, crede mihi, bello est crudelior omni,
Apparet quanuis sanguinolenta minùs.
Qui cum delicijs pacem, qui fœdera pangit,
Hic violat sancti fœdera sacra Dei.
Nanque ideò sacro Baptismi in fonte lauaris,
Vt tibi cum vitijs lucta perennis eat.
Ille igitur felix, fortunatusque laborum,
Qui sequitur CHRISTI *bellica signa ducis.*
Quem neque tardat iners metus, haudq; ignauia terret
Præmia militiæ puluerulenta sequi.
Dum vernat sanguis, dum strenua sustinet ætas,
Assuescit miles tristia quæque pati.
Pòst vbi depositis annosus secubat armis,
Et vetus in templo bellica parma vacat,
Fessus in acceptos ad pacem ducitur agros,
Tutaque deposito poscitur ense rudis.
Hîc quò quisque magis premitur tardante senecta,
Indigaque auxilij frigida membra labant,

Hoc

Hoc magis his aptus bellis & idoneus armis,
Quæ nos, teste Deo, fata subire volunt.
Ac veluti intentus neruo leuis arcus equino
Vincula semper habens irresoluta manet:
Vsque laborandum sic, dum tibi lumine casso
Emeritus claro luceat igne rogus.
Sin, hæc vitalis dum carpitur aura, quietem
Speras, næ sterili vomere littus aras.
SED *nouisse modum bene quo patiare labores,*
Proposita ex magna prælia parte leuat.
Non opus est armis ferroque, vbi spiritus hostis,
Quid miser incaßum bellica tela paras?
Non iaculis, non ense potest, celeriue sagitta,
Nec lucta vinci vulneribusque Satan.
Scilicet, horrendos qui primus protulit enses,
Vulneribus crebris discat habere metum?
Quique igni æterno, & diris serpentibus ardet,
Ferrata accipiat vulnera cruda sude?
Corpus inane petis, Stygiam malè percutis vmbram,
Prægnantem heu quantis in pia membra malis?
Vrbibus obseßis portæ munimina præbent,
In tutaque locant fossa vel agger humo.
Ast hunc nec muri prohibent, nec mœnia foßis
Clausa, nec horrori ferrea turris erit.
Omnia communi, atque armata cinge corona,
Et centum duris postibus adde seras:
Intra limen erunt lethali tincta veneno
Tela hostis, cuiuis excipienda pio.
At tibi & arma dabit Tarsensis cura magistri,
Et certa in bellis vndique cinget ope.
Ne tu turmarum expectes fortißima signa,
Aut peditum inuictas ad fera bella manus.
Queis armata acies geminos lunetur in arcus,

Hastarumque procul fulgeat alba seges.
Te duce, ad hunc belli venies, te milite, finem:
Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse tibi es.
Nec teneros duplex vrat lorica lacertos,
Aut grauis imbelles atterat hasta manus.
Tegmina iustitiæ, Lernæis nescia vinci
Viribus, in pugnas indue, tutus eris.
Ista tibi proprio quæsiuit sanguine CHRISTVS,
Qui tibi, Mors, moriens mors truculenta fuit.
Caßide liber eris ferro radiante, vel auro,
Cristarumq; caput pondera nulla prement,
Victricem æternæ galeam sed sume salutis,
Quam CHRISTI nobis hostia sancta dedit.
Hac caput armatus Satanæ contemne furores,
Cuius ab hac validè vis pudefacta cadet.
Sin his munito tamen instat, & vsq; repugnat,
Cingatur nudum fortiter ense latus.
Non, quem defessus rigidis incudibus olim
Immiti sæuus duxerit arte faber,
Sed quem diuini præbent oracula verbi,
Viribus, ô dæmon, certa ruina tuis.
Picta alijs claro splendescit parma Pyropo,
Et præbent cæsi balthea lenta boues.
At te mendaci lingua haud superabile Verum
Protegat, & scutum sit tibi sancta Fides.
Hæc sola inuictum ad quæcunque pericula reddet,
Excipiet Satanæ spicula sola fides.
Hæc vel ad ignitæ secura est cuspidis ictus,
Hac sola dæmon ægide victus erit.
Hac si quando animum furtim deprendat inermem,
Inuitum ducet sub sua iura caput.
Ille quidem tempus legit astu, & retia tendit,

Queis

Queis hominis facilis mens sit & apta capi.
Mens erit apta capi, tunc cùm lætißima rerum
Luxuriant pingui pectora nostra solo.
Tunc quoque, cùm tristi grauiter contracta dolore
In luctu & tenebris aspera fata trahunt.
Tu neque felici successu attollito cristas,
Nec rerum aduerso deijciare statu.
Inter vtrunque manens vestigia tuta locabis,
Hoc facilè eludes tela inimica modo.
Tunc quoq; cùm nihil est quod te delectet & angat,
Peruigili constans in statione mane.
Sæpe latent fraudes vbi nec caua fossa, nec agger,
Nec sint saxa licet: fallere plana solent.
Omnia tuta time, queis te crebrò impetat hostis,
Non sinet ignauo tela sopore premi.
In Polypi morem rebus se concolor addit,
Et sæpe incautis hac vafer arte nocet.
Tu parma armatus fidei, sub fraude latentem
Insequere, & voti postmodo compos eris.
Ille quidem, vt Proteus modò se tenuabat in vndas,
Nunc leo, nunc truncus, nunc erat hirtus aper:
Sic te fallendi confinget mille figuras,
Queis sese ex manicis explicuisse queat.
Et fidei tetris sopire afflatibus ignes
Tentabit fumis squallidus, atque dolis.
Omnia contemnas, qui pro te tristia passus,
Hanc, Deus, vt viuat ventilat ipse facem.
Hic nos aduersus quæcunque pericula seruat,
Ne poßint nostros anticipare dies.
Hoc duce quidquid aget dæmon, quæcunque parabit
Vt cadat in casses præda petita suos:
Ceu, vacui tantùm quæ sunt simulachra timoris,
Signa caua, & pictos experiêre metus:

Quæq; ita turbabant mentem cruciatibus ægris
Aeriæ nubes diripienda ferent.
Ipse triumphali deuinctus tempora lauro
Dæmonis inuicto sub pede colla premes.
Omnia ridebunt tibi sydera, & ipsa fauorem
Spondebunt rebus fata benigna tuis.
Sin tua segnities his te spoliauerit armis,
Heu tibi curarum millia quanta dabit?
Ad proprij motam trepidabis corporis vmbram,
Crudeli & viues præda relicta lupo.
Qui te correptum flammæ torrebit aheno,
Hîc vbi sulphureo tartara fonte patent.
SED non vlla hostis melius solertia vires
Debilitat, nunquam tam citò terga dabit,
Quàm si, quæ scelerum crudelia pabula præbet,
Imponas carni delicijsq; modum.
Hæc hæc mortiferis implet tibi pocula succis,
Immemorem & vitæ te facit esse piæ.
Hæc te securum furtim deprendere tentat,
Vt pendens liquida ripa subitur aqua.
Quòd si centum oculos stellataq; pectora gestes,
Argus vti custos, Inachi vacca, tuus,
Haud tamen hanc satis obserues, quin vsq; repugnet,
Et tentet cæcis te superare dolis.
Non te vel rasus vertex, pinguisq; cucullus
Imperio carnis liberet, atque beet.
Candida non vestis, non ianua clausa palati,
In proprio hanc tecum fers miser vsque sinu.
Quocunque exieris, quacunque quieueris vmbra,
Aßiduè est cœptæ duxq; comesq; viæ.
Hanc si diuinis poßis frænare rebellem
Legibus, in liquida nat tibi linter aqua.
Hoc facilè aßequeris si sancti oracula verbi

Extiterint

Extiterint pedibus semita sola tuis.
Hos tu custodes illi, hæc bene limina pones,
Quæ supra nunquam pes inimicus eat.
Nec metuas ne sint rapidis ludibria ventis,
Ceu quæ sunt folijs scripta, Sibylla, tuis.
Hæ certæ sortes, hæc sunt mysteria cœli,
Vincere quæ nunquam visq; dolúsue queat.
Hoc duce præclaro carnis potiêre triumpho,
Quæ tradet victas sub tua iura manus.
Non tamen antè tuam quàm verset callida vitam,
Inijciatque animo tristia multa tuo.
Peccati varia tentaberis illice primùm,
Hæc est venturi certa fauilla mali.
Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi,
Vel minimùm flecti te patiare, cades.
Si parua exiguæ dederis vestigia culpæ,
Quàm citò de paruo magnus aceruus erit?
Si fors peccatum quadam dulcedine inescat,
Infernæ at reuocent vincula sæua rotæ.
Qui peccare volunt foribus velóue seráue
Contenti non sunt, lumina cæca timent.
Oblinitur minimæ si qua est suspectio rimæ,
Et puncta exigua quæ terebrantur acu.
Tu quocunque abeas, haud vnquam impunè latebis
Qui proprio cernit lumine cuncta, Deum.
Denique syncerum gestare in pectore testem
Vitæ inculpatæ sit pia cura tibi.
Hoc corda armato mundi bona cuncta caduci,
Et regum fragiles despiciantur opes.
Hic tibi sit potior vel flumine diuitis auri,
Hic tibi sit proprio sanguine pluris amor.
Ardua quis præcepta vocet, nos esse fatemur
Dura, sed vt valeas aspera multa feres.

Vt corpus valeat ferrum patietur & ignes
Æger, & optatis abstinet ora cibis.
Vt valeas animo quidquam perferre recusas?
Dignaq́; non aliquo est ista labore quies?
Leniet hunc pariter sæuum medicando dolorem,
Si spes de certo munere fixa tibi est:
Munere quo nihil est toto præstantius orbe,
Quodq́; tibi nunquam finiat vlla dies.
Induit aduersis contraria pectora telis
Miles, vt æternum sanguine nomen emat:
Nos, quibus æterni spondentur tempora honoris,
Atque immortalis vita salusq́; datur,
Quod carni haud gratum est infidæ ferre negamus,
Victrici & nobis imperat illa manu?
Quæ tamen inde venit merces? crudelis Erinnys,
Vltrices curæ, perpetuusq́; tremor.
I nunc obsequitor carni, gratare malignæ,
Delicijs careant tempora nulla tuis.
At postquam æterna infelix torquebere flamma,
Heu nimiùm serò hæc irrita facta petes.
HIS equidem cuncti possent fortasse moueri,
Vt Domini sanctè sub iuga colla darent.
At mundi aßiduè scelerata potentia restat,
Cui triplices adsunt ad scelus omne manus.
His neruum intendit, quò nos educat inermes,
Nequitiæq́; suæ non sinat esse rudes.
Occinit ille pijs, vt vita impune relicta
Austera, potius dulcia castra legant.
At quos spe fallax longùm decepit inani,
Inferni tandem mergit in antra lupi.
Sirenes veluti blandæ, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuêre rates:
Post miserè illectos dulci modulamine nautas

Fluctibus

Fluctibus immergunt, exitioq́ necant.
Voce pius CHRISTI *patulas verùm oblinit aures,*
Atq́ huius vinclis porrigit ipse manus.
Queis vinctus nunquam peccati in retia tendit,
Nec seruum vitijs pectus habere potest:
Illecebrasq́ fugit, tanquam si pocula Gorgon
Porrigat, & dulci toxica mista mero.
Surdo igitur cantat mundus, nullaq́ moueri
Nec prece, nec precio quit, rigidisúe minis.
Diuitiæ tentant, multaq́ pecunia curâ
Strangulat, & miseros vsq́ timere iubet.
Qualiter in Scythica religati rupe Promethei
Nuda in perpetuum pectora rodit auis.
At pius has flocci facit, & ceu sentibus erret
Ne notet obscœno vulnere crura, cauet.
Pauperies multis peccati fomes & author,
Ieiunusq́ parum vir rationis habet.
At neq́ paupertas rerum, nec turpis egestas
Officij immemores efficit esse pios.
Quosdam contemptus, spretæq́ iniuria famæ,
Atq́ carens titulis pagina mergit humo.
Hinc reddit promptos, vt nulla ad facta tremiscant
Turpia, nam sancto corda pudore carent.
Nonnullos tumidos immensa potentia reddit,
Audacesq́ facit conspiciendus honor.
Vt quodcunq́ animus suadet, quodcunq́ libido,
Immunes veluti legibus, omne patrent.
At pia mundani haud tangunt præcordia motus,
Auspicijs vincunt omnia, CHRISTE, *tuis.*
Cur hos ambitio demens perfusaq́ fuco
Gloria in exitium præcipitare queat?
Cur pudeat mundi vel dira piacula dici,
Vel sterilis causam perniciemq́ soli?

Queis caput est CHRISTVS, qui cum virtute potenti
Immenso quidquid spirat in orbe regat:
Attamen in terris, pro nobis factus egenus,
Tristem ignominiam pauperiemq́ tulit.
Quiq; suos donis & diuite copia adauget,
Quo caput inclinet non habet ille locum.
At non vlla magis res æquo à tramite recti
Auocat humanos lubricitate pedes:
Barbara quàm feritas qua mundus sanguine spumans
Incestat crebro funere tecta pij.
Non aries murum cornu tam frangit aheno,
Cùm longa inductum vinea munit opus:
Quàm frangit vires hæc res in milite, cuius
Mens facilè ancipiti victa tremore labat.
Ast qui pectus habent firmum, atq; adamantina corda,
Nullaq́; quos Dominus fata timere docet:
Cur metuant mundiq́; minas mortisq́; furores,
Cuius vis CHRISTI morte sepulta iacet?
Hinc potius fidei clypeus noua robora sumat,
Hac tu spem subigas cote, nouesq; tuam.
His vult interdum medijs vis nostra probari,
Excitat ignauos hac ratione Deus.
Et velut absumptis paulatim viribus ignis
Cùm latet, ac summo candet in igne cinis,
Admoto extinctas si tangas sulphure flammas
Inuenis, & lumen quod fuit antè redit:
Sic vbi torpenti similis malè languit, istis
Acribus est stimulis elicienda fides.
DEniq; in his mundi, Carnis, Satanæq; procellis
Impauidus fortem qui reget vsque ratem:
Fœlix bellator, fœlix pius: en tibi charo
Sese offert virtus excipienda sinu.
Fœlix bellator, qui terræ hac mole solutus

Cùm CHRISTO *cœli tecta beata coles.*
Talis erat, quemcunque sacri cœlestia verbi
Dogmata laude canunt emicuisse sua.
Talis eras, quo non quisquam præstantior alter,
BVLGERE *Heluetici gloria magna soli.*
Cui varijs fesso curis sanctoque labore
Militiæ tribuit præmia clara Deus.
Est tibi sacra quies etenim, noua patria parta,
In qua ter fœlix vita parata tibi est.
Te cœli pietas rapuit sibi, nam tua cœlum
Respexit pietas, & tua facta Deum.
His ergo exutus curis, rebusque molestis,
Æternis fœlix vsque fruare bonis.
At tibi dum nunquam morituri fructus honoris
Carpitur, heu fiunt omnia acerba tuis:
Quos miserè in terris tanto in certamine linquis,
Auxilio & priuas subsidioque pio.
Te gemit absentem lachrymis Ecclesia mœstis,
Tutelæ gratum munus opusque tuæ.
Nam te defensa est non tantùm milite, verùm
Aduersum hæc fidus prælia ductor eras.
Illa tuis humeris veluti trabe nixa vigebat:
Heu sacro CHRISTI *quanta columna gregis?*
Vt nobis æterna foret, næ funeris expers
Debuit humanis altior esse malis.
At quid ego exigua coner te dicere charta,
Cùm mea sint meritis ora minora tuis?
Tu scriptis præstas doctis, ne prisca vetustas
Doctrinæ fama sæcula nostra premat.
Denique talis eras, cuius virtute videri
In terris virtus se preciosa probat.
Nunc eadem pugnis grauiter sua pectora tundit,
Ceu tecum pariter contumuletur humo.

Sed bene consuluit CHRISTVS, *super ardua viuit*
Spiritus astra tuus, membra sepulta iacent.
Fama sed immensum volitat præclara per orbem,
Et nulla virtus interitura die.
Et cùm rupta situ monumenti saxa iacebunt,
Amplaq; cùm tumuli pondera puluis erunt:
Te tamen ora legent, & erit quàm plurimus hospes
Ad patrias sedes qui tua scripta ferat.

קינה במות איש חכם בעלה

לגדולה היינריך בולינגר לשם ולתהלה
קינן תלמידו הצעיר המכונה
יוחנן יעקב פריסיוס
והוא שיר מורכב
מיתד ותנועות.

הלא מספר לבולינגר בכול תבל
אשר נרפ בקהל יה דבר הכל
והוא רועה עדת אמות אלוהינו
וחיה תם ונקי הוא בתוכנו
עתה טובה בשיבה מת : ואחריו
יהוה טוב בהחמירת לעם יחדיו
נתתנו ביד האיש בלביו
ומליץ כול ולא ירום דבריו
לעולם חי ועמנו בכור עליון
תשועה עם מאור ירב בהחשבון.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ ΕΡΡΙΚΟΥ ΒΟΥΛΛΙΝΓΗΡΟΥ τῶν Θεολόγων τοῦ πάνυ.

Ὁππότε Βουλγήρῳ θάνατος φάος ἀμφεκάλυψεν
  Ἠελίου, γλυκερὸν κῶμ᾽ ἐπιπεμψάμενος.
Φροντίσι τηκομένη πατρὶς φιλέουσα, παρειὴν
  Ἐσκέπασ᾽ ἀπαύστως δακρύσι τεγγομένην.
Αἶ, αἶ, ποῦ γε τραπεῦμαι; ἐπεὶ θάνεν, ᾧ ἐπὶ πᾶσαι
  Ἦσαν ἐμῆς ψυχῆς ἐλπίδες ἐκρεμέες.
Ἐκφέρομεν γὰρ θάψαι ἐπισταμένως ἀγορῆσι
  Λαμπρότατον Χριστοῦ φέγγος ἀνασχόμενον.
Ἡσυχίης οὗτος μὲν ἐτεύξατο, ἡμετέρης δὲ
  Φροντίδος οὔτε λόγος γίγνεται, οὔτ᾽ ἀριθμός.
Μῶμ᾽ ἀντικνύζα, σοβαρὴν τε ὑπερχὲς ἀναιδῶς
  Ὀφρὺν, ἀεὶ ἁγίοις ἤθεσι μεμφόμενος.
Ἀλλ᾽ ἔμπης τούτου τὸ βαθύκλεες οὔνομα λήθη
  Οὔποτε γηραλέων ἁρπάσεται σελίδων.

Ῥόδολφος ὁ Γαλθήρου.

IDEM LATINIS VERSIBVS EXPRESsum à Ioanne Pontisella F.

Nuper vbi in longam BVLGERO *lumina noctem*
  Mors tegeret, dulci membra sopore rigans,
Turbida mœrentem velauit patria vultum,
  Inq; pias lachrymas tota soluta fuit.
Heu quò vertar? ait: Cecidit fixa hactenus omnis
  In quo nostra vno spesq; salusq; fuit.
Nam busto inferimus, quo non infractiùs alter
  Hoc seclo Christi signa corusca tulit.
Ille quidem placida compostus pace quiescit,
  At patet in curas area lata meas.

Mome quid oggannis? Ponas cum fronte pudorem,
Nec careat probris hora locúsue tuis:
Huius nulla tamen laudatum obliuio nomen
Deteret, &, qui sit, charta loquetur anus.

ΕΝΡΙΧΟΥ ΒΟΥΛΛΙΝΓΗΡΟΥ
τοῦ πάνυ ἐπιφανέος Θεολόγου

ΤΑΦΟΣ.

Ἰακώβου Οὐλδρίχου Τιγουρίνου.

Χαῖρε τὸ πλῆθος ὁδοιπόρεον· τί γὰρ ἀμφικαλύπτεις
Τὴν κεφαλήν; θάρσει, καὶ φρεσὶ ταῦτα βάλε.
ΕΝΡΙΧΟΥ ΒΟΥΛΛΙΝΓΗΡΟΥ ταῦτ' εἰσὶ μεγίστου
Ὀστοδοχεῖα, καλοῦ σώματος, οὐδὲ νόος.
Χώρη μὲν κοινὴ, βίος ἄστατος, ἔνθ' ἐπὶ γαίης
Βυκτὸς, πρύμνα καθὼς ἄλγεα πολλὰ φέρων.
Σῶμα λίθῳ κεῖται, πίστους εὕρηκεν ἑταίρους,
Μάρτυρα, Πέλλικανον, Βίβλιον ανδρα νέον.
Ἀνθρώποισιν, ἔφης, ἀνθ' ὧν κειμήλι' ἀναιρεῖς,
Εὔσημον σοφίης, εἰκόνα τῆς αρετῆς;
Ἔμπνοος ἐστὶ πόνος, λείψω βουλεύματα βίβλοις
Τῆς εὐεργεσίης, πάντος ἐπισταμένου.
Ψύχη δ' ἀθάνατος, παμφαίνων οὐρανὸς αὐτήν
Εὖ μὲν ἔχει, χριστὸν, νεῦμα θεοῦ τε βλέπει.
Ὡς μάκαρ εὐπρεάσων, ἀναπαύσει πνεῦμα, νόος ζῇ
Ἡσυχίῃ πολλῇ, πολλὰ διδασκόμενος.
Νῦν Θεὸς ἄλλον ἔδωκε πόληΐ τε παντὶ τε δήμῳ,
Εὐχρηστον, σοφὸν ἄνδρ', ὡς πάνυ χριστόλογον.

ΣΑΔΡΑΧΟΥ ΤΟΥ ΤΟΜΑΝΟΥ ΤΙΓΟΥΡΙΝΟΥ.

Ο ΧΡΙΣΤΟΣ ΚΑΙ Η ΕΚΚΛΗΣΙΑ διαλέγονται ἀλλήλοις.

Τί κλαίεις ὦ ἐμὴ νύμφη Ἐκκλησία ἁγνή;
  Δέσποτα Ἐρρῖκον κλαίω ὀδυρομένη,
Τὸν Βουλλιγγῆρον, τόν μοι κοσμήτορ᾽ ἔδωκας.
  Ὅς μοι κηδεμόνων φίλτατος ἔσκεν ἐμῶν.
Ζωὸς γὰρ μ᾽ ἐδίδαξε τεὸν νόον, ἠδέ μ᾽ ἐκόσμει,
  Νυμφίῳ ὡς εἴην σοι χαρίεσσα ἐμῷ.
Ἠδ᾽ ἀπ᾽ ἐμοὶ κακοδαίμον᾽ ἀμύνετ᾽ ἀλάστορ᾽ ἀσελγῆ,
  Ἐκπάγλως τ᾽ ἄλλους ὤσατο δυσμενέας.
Θείοις παμφαίνων ὡς ἠλέκτωρ ὑπερίων
  Τεύχεσ᾽, ἅ οἱ δῶκε πνεῦμα σὸν οὐρανόθεν.
Νῦν δ᾽ αἰνῶς δείδοικα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμὸν,
  Ἀντιθέου προμάχου μὴ παρεόντος ἔτι.
Μὴ με βίῃ ἀέκουσαν ἀεικίσσῃ κακοδαίμων,
  Μηδέ με αἰσχύνῃ μαχλοσύνῃ συγερῇ.
Νύμφη, μή τοι ταῦτα μετὰ φρεσὶ σῇσι μελόντων.
  Ἐρρῖκον μὲν ἐγὼ ἐς δόμ᾽ ἐδέξω ἐμὸν.
Ὃς δύο πεντήκοντά τ᾽ ἔτη μάλα πόλλ᾽ ἐμόγησεν
  Εἵνεκ᾽ ἐμῆς τιμῆς, εὐτυχίης τε τεῆς.
Σεῖο δὲ οὐκ ἐπιλήσομαι ὦ φίλη, οὔτε σ᾽ ἐάσω
  Δαίμονι χάρμα γενέσθ᾽ οὐλομένῳ καὶ ἕλωρ.
Ἀλλὰ ἐμὴν χεῖρα σου ὑπερέξω, καί σε σαώσω,
  Ἱμερόεντος ἕως ἡμετέροιο γάμου.
Ὃν πατρὸς ὑψιμέδοντος, ἐπουρανίων τ᾽ ἐν ὀπωπαῖς
  Τεύξομεν, ἀλλήκτοις χάρμασι γηθόσυνοι.

CARMINA IN OBITVM IOANNIS IACOBI HALleri F. Ἐπικήδιον.

Αἴλινον, Ἄμνε Θεοῦ, διατὶ παρὰ καιρὸν ἐπῆγες
　Κῦμα Θεογνώστοις, κτώμενος ἄνδρα, νέον,
Ὃς σελίδας καμάτων ῥητὰς θνητοῖσιν ἔγραψε,
　Βώτορος ὥστε δίκην ῥῆνας ἔφερψε Θεοῦ.
Ἀλλ' ἔμπης; τί μορμύρομεν τὸν παῦσιν ἔχοντα
　Ἄλγεσι τηκομένην τοῦ τ' ἀρετῆς ἔρανον.
Νῦν ὁπόταν συνετὸς μεθελκόμενος ὄλβον ἔτυχε,
　Ποῦ συναγειρόμενος πᾶς Θεὸν ἁγνὸν ὁρῶν.
Κήρυκας ἔνθα πάλαι νόμιμον συνεχοῦντας ἀθροίζων
　Τοῖς μὲν Ἰουδαίοις, Μωσέα καὶ Σαμουέλ.
Μήποκεν ὀψόμενοι πονέων κατὰ πῶμα θύελλης,
　Μήτε δυσωπῆαν βέλλερα βουλομένου.
Ἀλλά γε τί βράχομεν; μά δ' εὖτε μογοῦμεν ἅπαντες,
　Εἰμὲν ἀνήκεστοι φελλέες εἰμὲν ἐπάν.
Φεῦ δίος: ὅσγ' ἀγέλης ἀβοάς καταλάμψας ἄνωθεν,
　Παισὶν ἀνιστάμενος βώτορα ξίτον ἑοῖς.
Ἄνδρα φιλογνώστην, καθαρὸν, φιλόμουσον, ἄοκνον,
　Ῥήτορα καὶ σπουδῆς ὀρθοτομοῦντα λόγον.
Πρῶτος Υδαλρῖκος τ' ὅς τ' βριάοντα βέβουλα
　Ζίγγλιος Ἀντίδικον, φέγγος ἀμειβόμενος.
Εἰς ὅς ἀγήνωρας μετόχοις ὁρμήσας ἀθαμβεὶ
　Μάρτυρ ἀνηστώθη, ἤτλασεν ἄχθος ἔχων.
Ἔρρικος οἰχόμενον διεδέξατο ζίγγλιον ἔνθεν
　Βουλλιγγῆρος, ἐὼν ἄστεος αὐτὸς ἔφα.
Γαμβρὸς Υδαλρίκου κληρεύμενος, ὃς μὲν ἀνῆται
　Ἴχνεσιν ἐδνωτοῦ, ψῆφον ἔχει ξίενον.
Αὐτὰρ ἐπευξόμενοι θαλερὸν βίον, ἤματα καινὰ
　Νέστορος ἡμετέρῳ βώτορι πρόσθεν, ἄνω.

REVEREN-

REVERENDO VIRO, COMMVNIQVE OMNIVM CHRISTIANAR. ECCLESIAR. PASTORI, D. HENRICO BVLLINGERO, THEOLOGO SVMMAM DOCTRINAE PIETATIS ET MORVM CANDORIS LAVDEM, OMNIVM BONORVM IVDICIIS ADEPTO, ALTERI IN CHRISTO PATRI SVO, THEODORVS BEZA VEZELIVS HIS VERSIBVS PARENTABAT.

Doctrina si interire, si Pietas mori,
Occidere si Candor queat:
Doctrina, Pietas, Candor hoc tumulo iacent,
Henrice, tecum condita.
Mori sed absit illa posse dixerim,
Quæ viuere iubent mortuos.
Immo interire forsan illa si queant,
Subireq́ue sepulchri specum,
Tu, tu illa doctis, tu pijs, tu candidis,
Et non mori certissimis,
Tenaci ab ipsa morte chartis asseras,
Ipso approbante numine.
Fœdus beatum: mortuum illa te excitant,
Et tu mori illa non sinis.
At hunc, amici, cur fleamus mortuum,
Qui viuat alijs & sibi?

RODOL. GVALTHERVS PATER.

Cum Bullingeri PIETAS *heic conderet ossa,*
Hoc sita sunt (dixit) viscera nostra loco.
Et tota in lachrymas effusa, hæc addidit: Eheu
Nate vale, ah nulli nate secunde, vale.

Quid loquar? est toti virtus tua cognita mundo,
At miseram prohibet dicere plura dolor.
Quòd tamen optata sopitus pace quiescis,
Et tua mens cœli tecta beata colit,
Me recreat mœstam: At tu Christe salutifer, ipse
Sume pedum, atq; tuas nunc rege Pastor oues.
Pelle lupos stabulis, hircos procul inde salaces
Eijce, & vnanimem protege CHRISTE *gregem.*

VALENTINVS AMPELANDER
Bernensis.

Vrbs Tigurina suos Doctores fortè recensens
Eximios, claros, præcipuosq; viros,
Et propriæ tribuens cunctis encomia laudis
De Bullingero talia verba refert:
Magna licet multis dederit Deus amplaq; dona,
At Bullingero maxima quæque dedit.
Sint alij clari scriptis, alijq; docendo,
Non est qui meliùs præstet vtrumq; simul.
Vtilibus magnum scriptis ditauit vt orbem,
Sic viua docuit dogmata voce Dei.
Si spectes quàm quisq; pius, quàm candidus atque
Syncerus, nullis ille secundus erit.
Si sanctæ quàm pacis amans, patiensq; laboris,
Totius vitæ facta beata docent.
Cui Verbum Domini scriptis et voce docenti
Annis cum binis lustra peracta decem.
Tam diuturnus erat labor, & longæua senectus,
In qua nil studuit quàm placuisse Deo.
Ergo qui tantos in sancta messe labores
Pertulit, & fructus protulit ipse bonos:
A Domino messis promissæ præmia vitæ

Accipit

Accipit, æternis nunc fruiturq́, bonis.
Percipit æternæ nunc gaudia cuncta salutis
Inter sydereos angelicosq́ue choros.
Hæc eadem sperat, votisq́, Ecclesia Christi
Aßiduis optat, suppliciterq́, petit.
Cum Christo iungi cupiens, vitamq́, beatam
Accipere, electos qua beat ille suos.
In qua cum sanctis Seruator Christus Iesus
Nos sibi coniungens in sua regna locet. Amen.

IOANNES IEZLERVS Schaphusianus.

Mecum, NATE, mane: quò tendis? respice matrem: PIETAS queritur.
Viscera discessus sauciat ima: mane.
Auffert vna dies natum, fidumq́, patronum.
Nam mihi natus eras: & pater alter eras.
Quicquid, te viuo, mens, quicquid corpus habebat,
Non tibi, sed nobis nocte dieq́, datum.
Cor gemuit, scripsêre manus, est lingua locuta,
Atq́, preces dixit pro PIETATE labrum.
Norunt Heluetij: nouit Germania: nouit
Gallia cum Scotis: Anglia nouit item.
Quis reget orbatam? me quis defendet vt antè?
Nescio: permittar forsitan esca lupis.

Conquereris iustè: nimios sed pone dolores: CHRISTVS solatur.
Quem lachrymæ reuocant fata tulêre virum.
Lustra decem Christi docuit mysteria: lustra
Vixit in his terris quatuor atque decem.
Fixa fuit meta hæc: non fas transcendere metam.
Ne cupias vetitum: desine mœsta queri.
Semper eras curæ: curæ dilecta manebis:
Sis licet orba, tamen non eris orba diu.

Pastorum princeps, pastoris munere fungar:
Præsidio nunquam destituêre meo.
Si tulit vna dies, anni quem mille requirant:
En alium per nos afferet vna dies.
Si pulsus gremio, quo vix tibi charior vllus:
Reddetur gremio dignus amore satis.
Et quanquam dabitur dispar fortasse priori:
Partibus ex cunctis non tamen, ecce, minor.
Non procul hinc abeas: quæ sunt peregrina caueto:
Quælibet ornantur fructibus arua suis.
Lumina circumfer: NATO *sunt pignora multa:*
Pignora defuncto substituenda patri.
Sydera sed radijs vt vincit cætera Phœbus:
Vnus sic reliquis præstat in vrbe senex.
Illi zelus inest, pietas, facundia, candor:
Illi mentis inest robur, amorque gregis.
Illum ne dubites patronum sumere: sume
Cuius ad imperium viuere tuta queas.
Crede mihi, stabulis arcebit noxia quæque:
Et calamo diris obstruet ora lupis.
Ad me confugito supplex, si pressus ab hoste est:
Ad Martem noster spiritus arma dabit.

F. M.

HENRICI BVLLINGERI, VIRI DEI, TIGVRINAE ECCLESIAE PASTORIS. QVI QVVM RENASCENTE EVANGELII LVCE SVMMO DEI BENEFICIO PRODIISSET, FORTIS ATHLETA IN HOC CERTAMINE VICTOR COMPLVREIS ANNOS STETIT, VARIIS VARIE DEBELLATIS PROFLIGATISQ. HOSTIBVS. NVNC VERO CHRISTI PLENAM VICTORIAM EXPECTANS, SECESSIT IN COELVM FELIX.
SERRANVS PIIS LACRVMIS PARENTABAT.

EIDEM

EIDEM IDEM.

Moſis miniſtri voce maximam Deus
Hereditatem addiderat
Suo Iſraêli: non eam Moſes tamen
Adit, ſed eminùs videt.
HENRICE, *maius contigit quiddam tibi:*
Cum Zuinglio primus propè
Ad initia pugnaſti. Dei imperio aſt vbi
Athleta magnus Zuinglius
Ceßit quietem conſequutus, tu nouis,
Henrice, viribus potens
Prodis: peremptis hoſtibus victoriam
Refers: trophæa ſplendidæ
Victoriæ victor ſtatuis. Luſtris meant
Perplurimis curſus graues,
Quum victor inſtas, patriæ in dulci ſinu
Felixque votorum ſenex
Compos tuorum. Tum Deus dixit tibi
Quieſce tandem, ô optime
Quieſce tandem ſerue, iam ſatis tibi
Satis laborum eſt: percipe
Parata cœlo præmia. edixit Deus.
Henricus annorum ſatur
Conceßit in cœlum: beatus & modò
Fruitur beatis ſedibus.

Τῷ αὐτῷ ὁ αὐτός.

Οὐ θάνες, ἐσθλὲ γεραιὲ, βίου δὲ πέλων ὑποφήτης,
Νημερτὲς ζώεις, κἂν φθιμένοισιν ἐών.
Οὐ θάνες, οὐρανίοισιν ἀτὰρ δώροισιν ἐπαυρῶν,
Ἀθάνατον χθονίοις σὸν λίπες ἄμμι κλέος.

CARMINA IN OBITVM IOANNIS BAPTISTAE ROTANI.

Relligiose senex, Sacrorum Maxime vatum,
Te viuente mihi viuere dulce fuit.
Viuere dulce fuit: nam te viuente, Parentis
Vixit sancta Dei filia Relligio.
Vixit, per quod erat mihi tantùm viuere dulce,
O mihi si liceat te moriente mori?

TETRASTICHON SVPER EXIMIA D.H.Bullingeri eruditione, maiorique in Deum pietate.

In te num pietas fuerit Doctrináue maior,
Contendunt, quibus est vtraque nota probè.
Vicerit at Pietas, Doctrinæ iuncta per orbem
Te memorans, cœlo viuere sola facit.
I. I.

D. H. BVLLINGERO IN COELIS viuenti Simon Goulartius.

Magnus eras annis: zelo, pietate secundus
Nulli: te scriptis quis superare queat?
At tua nunc pietas vitæ cœlestis amores
Excitat, & calamo pandis ad astra viam.
Euge, vides oculis, humili quem mente tenebas,
Atque capis zeli præmia læta tui.

IOANNES PONTISELLA MINIster ecclesiæ Curiensis.

Túne etiam BVLGERE *huius lux aurea mundi*
Occidis? & fœdis vermibus esca iaces?
At saltem diuina, alios quæ viuere fecit,
Debuerat fatis te eripuisse Fides.

Eripuit,

Eripuit. Quid enim? vitæ mors meta caputque,
Viuere quò posses vita soluta tibi est.
Impia & vt Lachesis tellure potita triumphet,
Pars melior Phœbi complet vtranque domum.
Sancta anima, & sibi erat quæ cælum sæpe, superstes
In gremium cœlo pulchra recepta Dei est.
Hîc tanquam integro prorumpat fonte perennis
Vita, manu fati non resecanda fluit.
Viue igitur fœlix, certaque in sede beatus
Ipsa re Vtopium fallere dogma doce.
Tu verò incerti quicunque assertor Olympi es,
Ne Styga certam obiens experiare, sape.

RODOLPHI COLLINI PATRIS.

Quando seni mihi finis erit deflere sepultos?
Qui deflendus eram, qui tumulandus eram?
Martyr obit, Gesnerus obit, meus atque Amianus,
Quos ego defleui versibus & lachrymis.
Nunc extremus adest dolor & ter maximus idem,
Ex Bullingeri funere proueniens.
Qui me cassum animo, spoliatum sensibus imis,
Aßidua posthac carpet amaritie.
Nec sinet excultis elegis euoluere luctum,
Vocibus at dicam sic miserabilibus:
Bullingerus erat patriæ pater, & regionum,
Qualescunque forent, innumerabilium.

RODOLPHI COLLINI F.

Nemo meam celebrèt funesto carmine mortem,
Viuus enim volito multa per ora virûm.
Qualia præstiterim paßim mea scripta loquuntur,
Quæ viua ingenij sunt monumenta mihi.

Nunc viuo in cœlo, & cum sanctis omnibus illud,
Quod docui, experior: nam fruor ore Dei.
Hæc mea spes fuerat, nunc sunt mea lucra laborum,
His fruor in Christo, qui mihi certa salus.

IOSVA VINSLERVS TIGVRINVS ecclesiæ Bielensis minister.

Si lachrymis redimi, pastor, tua funera possent,
In lachrymas iret Limagus ipse pias.
Numinis at flecti nequeunt pia fata potentis,
Omnibus & lethi porta terenda venit.
Diuersos eadem peperit (mirabile) fructus:
Damna dedit nobis, maxima lucra tibi.
Nec tua lugubri ploramus funera planctu,
Nostra tamen meritò damna dolere decet.
Tu nunc ambrosiam carpis, tu nectare viuis,
Qui nos pauisti nectare & ambrosia,
Cœlitibus mixtus super aurea sydera ciuis,
Nec misera reptas exul in vtopia.

IOANNES RODOLPHVS BYGElius Tigurinus.

HENRICVS *Bullingerus post fata quiescit*
Contiguus Petri Martyris exequijs.
Quid mirum? vnanimes quondam nunc corpore iuncti
Æternum seruant nomen amicitiæ.
Heluetius quamuis erat alter, & Italus alter:
At vox de CHRISTO *consona vtrique fuit.*
Excepit geminum tellus Tigurina cadauer,
Fortunati ambo quo docuêre loco.
Papa quid insanis? superis in sedibus vnà
Gaudia cum CHRISTO *mens vtriusq; capit.*
Succedant alij, quibus est Ecclesia curæ,
Qui legis hæc supplex vsque precare DEVM.

MARTINVS FARNERVS.

Si prece, si pretio, validis si viribus vllis
Vel lachrymis flecti tristia fata queant:
Non modò Nestoreos hic noster viueret annos,
Nil sed in hunc prorsus Mors tibi iuris erat.
Abstulit vna dies, quem tempora plura requirant:
Heu nobis tristem, pestiferumque diem.
Ipse quidem felix, curis & mole solutus,
Compleuit vitæ munia ritè suæ.
Viuere nec cessat, cui Christus vita salusque est:
Nam commutauit sæcula, non perijt.
Terra fouet corpus: Fama inclyta splendet in orbe:
Spiritus æthereа perfruitur requie.
Ipse Dei cætus tua numina Christe precatur,
Nauclerum simili des ratione tuis:
Qui regat in medijs vndis, tutoque reducat
In portum nauim, ne pereat miserè.

IOANNES PAVLVS IERRARIVS.

Expertus longum exilium, variosque labores
Infidi toties sæua pericla maris,
Ad patrias cœli remeas fœliciter oras:
Et tua iam portum fessa carina tenet.
Hic tibi parta quies, teque hic HENRICE reposta,
Iamque optata diu præmia digna manent.
At nos orbati tanto pia turba magistro,
Ne nostra æquoreis cimba fatiscat aquis,
Fida viri memores tanti monumenta sequamur:
Vitemus scopulos hoc duce naufragos.

CARMINA IN OBITVM CHRISTOPHORI THRETII POLONI.

Perlætum quondam Tigurum qui lætus adiui
Triste nimis cogor tristis adire nimis.
Scilicet ipse meos illius misceo luctus,
Gaudia vt illius iuncta fuêre meis.
Communis luctus, communia gaudia, namq;
Cum Tiguro viuo, cum Tiguro morior.
Langueo, nam languet, quid languet? mortuus ille est,
Qui viuus Tiguri, certa columna fuit
Bullingerus eheu? ille eheu? mortuus ille est,
Qui sanctus sancti pastor ouilis erat.
Pastor ouilis erat viuus, nunc mortuus eheu
In luctu nimium, liquit ouile graui.
At verò lugete virum, sanctumq; piumq;
Vos sancti verè, vosq; pijq; viri.
En lachrymas lachrymis, en fletus fletibus addo,
Nam vester meus est, ac erit iste dolor.

EIVSDEM EPITAPHIVM.

Est vixisse diu quiddam, nomenq; per orbem
Permultis quæsisse libris, sed gloria nobis,
Quòd semper Christo vixi, & sum mortuus vnà.

RODOLPHVS LEEMANNVS.

Fletu Ecclesia quid propè indecoro
Incassum Tigurina te fatigas?
Fletus & lachrymæ perinde prosunt,
Ac si non lachrumes semel peremptis:
Sicut flosculus exit, & repente
Sæuis concidit arefactus Austris:
Sicut guttula pendet, impetuq;
Mox euanuit ingruentis auræ:

Sicut

Sicut somnium, & vmbra noctis atræ,
Sic nostri veniunt dies, ruuntq;
Ad metam properantiùs caducam.
Hesterni sumus, & quod huius æui
Tempus degimus, heu velut malorum
Sentina, heu scelerum velut barathrum,
Ærumnis scatet affatim & periclis.
Speq;, & sollicitudine, & labore,
Et curis, gelidam sub vsq; terram.
Ceu vestes veterascimus senecta
Absumpti, & lutei in lutum redimus.
Nec formæ, nec honoribus, nec vllis
Mentis dotibus, abstinere sæuas
Peccati precium solet sagittas.
Ergo Ecclesia quid nimis querela
Lugubri Tigurina te fatigas?
Naturam superare nemo nouit
Vnquam: splendida sic adimus astra,
Cœli municipes beatioris,
Hunc dum viuimus exules per orbem.
Facundum tulit atra mors Othonem,
Heu quo Zuinglius, atq; Pelecanus,
Gesnerus, Frisiusq;, Vuolphiusq;,
Quo Martyr pius, atq; Bibliander?
Omnes presbyteri tuiq; alumni,
Omnes & meritis graues & arte,
Nunquid præteriêre? subsequutus
Sum fratres ego & intimos amicos,
Quorum perfruor alloquutione,
Aspectuq; polos supra suaui,
Inter angelicos choros, & inter
Tot patres, tot Apostolos prophetasq;.
Hic cum Flamine, qualis est parentem,

Cum Nato Triadem ſacram ter vnam,
In omne aſpiciens beatus æuum:
Vitæ purus & integer, caterua
Dum contra impia ſulphure & gehenna
Perennes ſuper vſtulatur ignes.
Ergo O Tigurina te fatigas
Planctu eccleſia quid parum decoro?
Illuxiſſe diem mihi ſupremum
Crede: hinc me ſuperûm trahente fato.
Tuque ô damna mei ſereniore
Vultu ſuſcipe, quam penes ſuperſunt
Noſtrorum monumenta tot laborum,
Tot miracula lucubrationum:
Et quod maximum, ab hoſte tot trophæa,
Situ pyramidum perenniora.
Quales, nuper ab inferis vocati
Blaſphemi Triadis ſacræ Arriani,
Gentileſque noui, noui Sophiſtæ,
Quales denique & Antichriſtiani:
Et quantum fuit vndequaque tectum,
Seu graſſans gelidi palàm veneni.
Quin quantum genio & manu valebam
Impendi omne tibi, cadauer ipſum,
Famam, arcanaque, liberos libroſque:
Solùm ſpiritus ad domos beatas,
Ad veram patriam, atque ciuitatem
Aſcendit ſtabilem, vſque & vſque vota
Sola ſummaque noſtra, dum ſuperſtes
Vitales traherem caducus auras.
Ergo quid Tigurina te querelis
Fruſtrà eccleſia inanibus fatigas?
Si te ſollicitis tamen querelis,
Iucundi memorem intimique amoris,

Et

Et duræ nimium neceßitatis,
Sors tristißima lachrymare cogit.
Non tu totam ideò pusilla mentem
Spemq; abieceris, immemor coronæ
Quæ restat tibi, quamq; tot frequentant
Zelo insignia & eruditione
Quauis lumina perpolita, quales
Disertißimus omnium & peracer
Gualtherus, vehemensq; Lauaterus,
Simlerus decus elegans supremum,
Comis Vuikius, integer grauisq;,
Hallerus teneras perunctus aures,
Cultus Funccius, & rotundus ore
Leemannus: sed & vndequaq; quotquot
Haud metrum caperet, phaleuciorum.
Qui ni dißidio inuicem laborent,
Ni fœda ambitione, ni cauillis,
(Quod tum fiet vbi ipsa sustinebit
Quadrigas & aratra Amphitrite,
Tellus monstra natantia, & retrorsum
Naturæ ruet vniuersus ordo)
Non est quod metuas tui ruinam,
Quin puppi Cynosura fluctuanti
Christus præstò erit: ecquid ergo restat?
Quam ne ecclesia lachrymatione
Nequicquam Tigurina te fatiges.

IDEM.

Bullingerus in hac teneor celeberrimus vrna:
De quo si quid amas nosse viator, ades.
Ter quinq; à nato numerabis secula Christo,
Iungere queis totidem deniq; lustra velis:
Mortis habes annum: fuerant sed meta senectæ
Bis septem menses tot quoq; lustra meæ.

Aergouium genuit, Tigurina ecclesia summum
Pastorem vndenas fouit olympiadas.
Si quos pertulerim quæras pro gente labores,
Nullum illi hospes habent innumeri numerum.

EIVSDEM THRENODIA QVA
alloquitur Filius Ecclesiam.

F. *Mater sancta cupidinum,*
Tu quæ Verbigenam Nympha colis procum:
Quid fles? quid laceras comam?
Obnubis posita quid faciem manu?

E. *Fili, damna queror mea:*
Nam quem sollicitis ignibus arseram,
Magni nominis occidit
Bullingerus, eheu fato adamantino.

F. *Ergo haud immeritò doles:*
Verùm tunè ideò dum quereris modum
Excedes, veluti sacram
Quæ spem, iudicij nesciat aut diem?

E. *Noui quot mala liquerit,*
Quot contra moriens gaudia adiuerit:
Noui esse & lachrymis modum,
Nec noui lachrymis ponere dum modum.

F. *Quid si barbariem tui,*
Seu raptus timeas, vinculaq; hostium,
Prolem deniq; adulteram,
Immitem gremio vipera ceu tuo?

E. *Quanquam causa sit hæc mei*
Luctus maxima: me torret amor tamen,
Vultus sydere pulchrior,
Vox cycnea, animus candidior niue.

Curam

Curam suscipiens tui,
Quid si idem, veluti prisca redit Venus,
Quouis sydere pulchrior
Gualtherus, lachrymas miseris & metum?

Ceruici ô vtinam meæ
(Cogit sic quoniam dura necessitas)
Amplexum det & oscula.
Hoc cum viuere amem, hoc cum moriar lubens.

QVERELA FELICIS TRVBII TIgurini in obitum eiusdem.

In planctus gemitusq́; nouos mea Musa redibis,
Heu miser ad lachrymas sum quasi natus ego?
Percipiam nostri lenimina nulla doloris,
Carmen & hoc nobis flebile semper erit?
Doctrina, pietate graues, Virtute fideq́;,
Mors aliquot nobis abstulit atra Viros.
Abstulit atra Viros, quos vexit ad æthera Virtus,
Qui decus & nostræ posteritatis erunt.
Voce, manu, calamo, totum prodesse per Orbem
Dum cuperent, auidas intulit illa manus.
Nec tamen hi poterant mortem effugisse rapacem,
Communis cunctos mors semel ista manet.
Cùm poterant melius per multos viuere menses,
Non retrahis sæuas mors inopina manus?
Inuida, cur properas Parcarum rumpere fila,
Stamina nónne vides ducere plura deas?
Ergo ego nunc sedeo mœrens, miserandus & ipse,
Cui modò iusta nimis causa doloris adest.
Namq́; breui rapuit nobis mors tempore plures,
Doctrinaq́; graueis & pietate viros.

Non ego maiores numerabo ex ordine patres,
Non exempla mei longa doloris erunt.
Quos vidi, audiui, quos gratus semper amaui,
Hos mea doctores Musa Canora feret.
Martyra quid dicam? quid nostrum Martyra, lumen,
Quo non in toto clarius orbe fuit?
Quid memorem Theodore tuam cum funere mortem,
Qui meritum à libris, nomen habere potes?
Guldenbecke simul teq; ô doctissime Frisi,
Qui fuerant nostræ lumina magna Scholæ.
Quid dicam de te, toto qui clarus in orbe es,
Quem Mária & tellus, quem sonat altus aer:
Te Geßnere puto, nostri qui summus honoris
Dux eris, ingenij dexteritate tui.
Quid dicam Zuingli, facundi nomen Amanni,
Quid clarum Vuolphi nomen vbique tuum?
Quos etiam Tigurum peregrinas misit in oras,
Vt iacerent Verbi semina pura Dei.
Mors simul arripuit, nulliq; horrenda pepercit,
Mors paßim doctis insidiosa Viris.
Fabritium, Eglinum, Rætorum sydera nuper
Quos modò doctores Curia mœsta fouet.
Hugonemq; pium Fridolini Castra secutum,
Vix patitur fessos vix posuisse pedes.
Te quoq; quid memorem, modò quem clarißima Berna
Doctorem puræ religionis amat?
Nunc fato functum luget Respublica tota,
HALLERE *ô patrij lausq; decusq; soli.*
Improba tot patriæ rapuit mors lumina nostræ,
Nec tamen heu patulas contrahit illa manus.
Eripit ecce Virum, vasto qui clarus in orbe,
Qui decus excellens vrbis & orbis erat.
BVLLINGERVS *hic est, cuius super æthera nomen*

Tollitur,

Tollitur, immenso qui valet orbe loqui.
Hesperijs cuius notum est ac nomen Eois,
Vix etiam vasto clauditur Oceano.
BVLLINGERVS hic est, qui tot nos pascit in annos,
Qui Vita purus dogmata pura docet.
Detegit errores, tenebrasq; repellit inertes,
Qui Christi docuit lumina clara sequi.
Qui cunctos potuit totum instituisse per orbem,
Doctrina, exemplo, nomine, consilio.
Hunc nobis mors sæua rapis, rapis inuida, nec te
Hoc decus hoc nostrum corripuisse pudet?
Quis nostrum rexisse gregem, quis doctior vltrà
Ah populum poterit iam docuisse meum?
Ergo tristis erit tantum perpessa dolorem,
Et lachrymis totam se mea Musa dabit.
Ferte precor capiti cineres, super addite saccum,
Nam video irati plurima signa Dei.
Vosq; simul moneo patriæ concurrite ciues,
Et casum hunc reputes ô pia turba tuum.

Solatur ipsum MVSA.

Ergo sedes mæstus turpi hoc indutus amictu,
Perpetuò infelix ô pie cultor eris?
Perpetuoq; tuum perges memorare dolorem,
Solamen miseris num superesse negas?
Iusta tibi, fateor, iusta est tibi causa doloris,
Non ego te patriæ condoluisse veto.
Quippe breui plures amisit tempore, plures
Quos memorare piget, quos memorare lubet.
Qui decus excellens, lumen, columenq; fuêre
Totius & patriæ præsidiumq; Scholæ.
Consilio, exemplo, doctrina, nomine clari,
Corporis ornati dotibus ac animi.

Ipse etiam fateor fata immatura piorum
Dicier irati tristia signa Dei.
Ipse volo pariter concurrant ordine ciues,
Cogitet & casum tàm pia turba grauem.
Non tamen vsq; velis corpus lacerare gemendo,
Atq; animum lachrymis discruciare tuum.
Quid planctus gemitusq; iuuant? quid deniq; vestis?
Num poteris casum sic reparare tuum?
Num reuocare gradus superasq; euadere ad auras
Vt poßint, lachrymis efficis oro tuis?
Ergo simul gelida consumpti morte iacebunt,
Quos adeò infelix interijsse putas.
Nec reuocare gradum poterunt, legemq; profundæ
Non vnquam soluent mortis & imperium.
Hi tamen & viuunt, inq; omnia secula viuent,
Et datur his cœlo liberiore frui.
Corpora mandantur terræ, sed læta resurgent:
Iusserit extremum cum Deus esse diem.
Corpora liquerunt terrestria, morbida, clarus
Ad celsi penetrat spiritus astra poli.
Hîc quoq; percipiunt tantorum digna laborum
Præmia, quos animo sustinuêre pio.
Mille etiam curis exempti mille periclis,
Diuûm dulce bibunt nectar & ambrosiam.
Semper felices dominum qui semper IESVM
Et monstrata pijs cælica regna vident.
Hósne iterum quæso mortalem hanc viuere vitam,
Mortali indutos corpore carne voles?
Cur igitur querulas calido de pectore voces,
Cur fundis lachrymas nocte dieq; graues?
Nónne precor ciueis orbatos lumine cæli,
Nunc aliud clarum lumen habere vides?
Nónne vides patriam multos aluisse per annos,

Qui

Qui sint doctrina, qui pietate graues?
Pluribus haud pergam nostrorum dicere laudes,
Quos modò complures vrbs opulenta fouet.
Liuor enim viuos morsu discerpit edaci,
Quos pia posteritas diligit atq; probat.
Ergo monstrat adhuc sanctum Deus ipse fauorem,
Constantemq; docent plurima signa fidem.
Nos modò quæ pariter docuit pia turba virorum,
Quæ docet altisoni dogmata pura Dei,
Seruemus pariter cuncti, sanctoq; labore
Sedulus alterius adiuuet alter opus.
Hic nobis labor est, his si pugnemus in armis,
Quis nostra infelix ocia rumpet homo?
Vos quoq; nobiscum chari ô contendite ciues,
Et simul hoc sanctum promoueamus opus.
Nos ita, ne dubites, Domini promissa manebunt
Præmia, nec famulos deseret ille pios.
Hoc etiam PASTOR petijt dum viueret idem,
Hæc sancti fuerant vltima vota viri.
Ergo age dormitum nostris cum patribus iuit,
Nunc tandem, officio functus vbiq; suo.
Vos grati, moneo, sitis memoresq; laborum,
Este boni patriæ, ciuibus este boni.

CHRISTOPHORI RVTERI
Querela.

Quæ mihi nunc tellus, quæ restant numina cœli?
Ni fallor, toto concidit orbe fides.
Impius exultat, iusto sua præmia desunt,
Doctos indoctos sors manet vna viros.
Nota loquor. Vix dum nobis tria lustra peracta,
Vidimus eximios succubuisse duces.

Implerat tristem cùm Martyre Musculus vrnam,
Vincere Nestoreos qui meruêre dies.
Hyperium posthæc fleui Mauortis in vrbe,
His claudens digitis lumina chara meis.
Hunc comes Elysios sequitur Caluinus in hortos.
Deniquè facundus Vuolphius ipse cadit.
Nec mora, nec requies, mors atrox vltima tentat,
Dirigit in summum tela cruenta caput.
Non satis: Hoc nobis Hallerum temporis æstu
Ipsis ex oculis eripuisse fuit:
Proh dolor, hanc etiam patitur super omnia sortem,
Qui pater & pastor clarus vbique fuit.
Hanc Bullingerus patitur, qui solus Asylum,
Et nitidum toto lumen in orbe fuit.
Cede, vale virtus, sacri concedite vates,
Nam vexat solos parca maligna pios.
Has ego iactabam mœstus super æthera voces,
Ipsum cùm tulimus sub caua busta virum.
Thalia. *Protinùs alma mihi cælo delapsa Thalia*
Astitit, & tales protulit ore sonos.
Tota tibi tellus, & restant numina cæli,
Iudicij nebulas tu modò tolle tuas.
Peruersum mortale genus, quod numinis expers,
Ex subito casu facta notanda putat.
Si latet, aut præsens factum tua pectora turbat,
Accipe, virtutis præmia certa dabo.
Inclyta versatur tela inter Martia virtus,
Quocunque aspicias, hostis & arma sonant.
Hinc Venus & Venter, mouet illinc prælia Mammon,
Vndiquè Maiestas horrida castra locat.
Inter tot diras virtus immota phalanges
Eminet, & pulchrum monstrat vbiq; caput.
Illicet & charam gaudet profundere vitam,

Nec

Nec dubitat lenta claudere morte diem.
Hoc quicunque modo virtutem sanguine firmat,
Æternum sanè non perijsse potest.
Viuit, & in toto celebris cantabitur orbe,
Diuinæ solus semina mentis habet.
Quin homo non potis est tantos perferre labores,
Nec cuperet, quamuis tu quoq; posse dares.
Omnipotens potius Deus est in partibus illis,
In minimis vires sic probat ille suas.
O fortunatum semper, cui contigit illud,
Non alius summi patris alumnus erit.
I nunc, perge tuis virtutem illudere verbis,
Ast Domini fuerit regia clausa tibi.
Hæc postquam roseo mihi rettulit ore Thalia,
Diuinum mouit terq; quaterq; caput.
Obticui, factiq; pudet, pudet esse loquutum,
Incensam meditor conciliare Deam.
Excipit auratos Elegia sparsa capillos, Elegia.
(Illa comes fuerat, consiliumq; mihi,)
O quam te memorem virgo? nam tu Dea certè,
Et tua præsentem vox sonat ipsa Deam.
Vox tua durabit, si quid mea carmina durant,
Sola beat virtus, cætera mundus habet.
Enoch, Helias, & summi patris imago,
Tramite virtutis regna suprema tenent.
Hos sequitur, quis quis tandem per tela, per ignes,
Et memor & constans sacra fidemq; docet.
Inter quos primam meruit, te iudice, laudem,
Quem lugent mœsta carmina nostra cheli:
Hanc Bullingerus meruit. Si dicere fas est,
Hoc Deus in terris tempore ferè fuit.
Quid referam pacem? nostræ quam præstitit vrbi?
Dum Martem Musis tradidit, arma togis?

Fama volat, totus mouet hûc sua lumina mundus,
Et tanti pendet semper ab ore viri.
Non loquar, hunc iactet quantùm Germania vatem,
Hunc Nicer, hunc Lanus, Rhenus & ipse stupent.
Pergimus, Europæ fertur laus inclyta vastæ,
Quæ dubijs rebus dicta secunda tulit.
Hirti Sauromatæ, bellatrix Pannonis ora,
Sponte viro gladios deposuêre suos.
Quæq; diu propria lacerata est Anglia cæde,
Hoc duce tranquilla viuere pace solet.
Gallia diuinum spreuit cum dogmate Vatem,
Sed didicit varijs nunc quoq; ferre malis.
Nec satis: Hæc gelidas sacra vox transcendit & Alpes,
Hæc Antichristo vulnera mille dedit.
Summa sequor: Restant tot sancta volumina patris,
Aurea quæ semper nomen ad astra ferent.
Non etenim bullas hominum tulit ille prophanas,
Sed fuerat verbi buccina sacra Dei.
Detexit stulto laruas & somnia mundo,
Et solum docuit ritè timere Deum.
Denique lustra decem tantos tulit ille labores,
Et nullum in toto munere crimen erat.
Nunc mihi Musa virum memora, si constat in orbe,
Hunc ipsum vatem qui superare queat.
Est Augustinus, quin est Hieronymus alter,
Qui mundum scriptis excoluêre suis.
Quare summa quidem debentur præmia vati,
Si desint, melius delituisse fuit.
Thalia. *Desierant Elegi, lachrymis simul ora rigantes,*
Protinùs hoc infit culta Thalia modo.
Non opus est verbis: Quis enim tàm certa negabit?
Sunt Bullingero præmia summa tuo.
Multa tulit, fecitq; suam qui nauita puppim

Fortis

Fortis per rapidas æquore duxit aquas.
Interea constans tanto discrimine rerum,
Assequitur populi sceptra suprema sui.
Sic Bullingerus ventis iactatus & vndis,
Commissam Domini rexerat arte ratem.
Elapsus, superas post funera missus in oras,
Hos inter vates candida stella nitet.
Verba fide careant, si non res ipsa loquatur,
Inspice quo vitam clauserit ille die.
Scilicet: humanos lux septima terminat actus,
Saturni requiem vesper adesse docet.
Adde, quòd Autumnus fuerat, sic fata tulerunt,
Conueniunt rebus tempore sæpè suis.
Vndiq; maturas decerpunt vitibus vuas,
Strata iacent quouis dulcia poma loco.
Tempore non alio constat felicior annus,
Munera cultori dat nemus omne suo.
Sic Heros actæ iam carpit præmia vitæ,
Virtus auctori nunc sua dona refert.
Ambrosia diues, tùm dulci nectare viuit,
Auferet hæc illi gaudia nulla dies.
Inuidus est igitur, quisquis deducere cælo,
Atq; iterum tumidis mergere gaudet aquis.
Quin potius viuat, regnet, cum laude quiescat,
Sit lucrum casus exuperasse suos.
Quæ fas est vatem mortali corpore pressum
Cuncta videre, sacro lumine summa videt.
Neu moueat gelido quòd dantur membra sepulchro,
Plus prosunt cunctis hæc monumenta viris.
Scilicet in templo nunc præsens excitat Hector,
Quô pia turba suum fertq; refertq; pedem.
Hîc iacet, hîc docuit, quin mystica sacra peregit,
Hîc rexit nostræ clara Lycæa Scholæ.

Hæc quem non celebris perstringet patris imago?
Indice sic viuunt hæc monumenta suo.
Donec magna Dei cælo demissa potestas,
Restituet vitæ cætera membra suæ.
Elegia. *Dixerat hæc. Elegis postquàm data copia fandi,*
Responsum verbis tale dedêre suis.
Non equidem inuideo, tantos quòd adeptus honores,
Nec me sollicitum muta sepulchra tenent.
Est quædam maior præsentis causa doloris,
Hanc breuibus referam, si vacat, ipsa tibi.
Aspice, quàm primùm tenuis calor ossa reliquit,
Texerunt nitidum sydera pura caput.
Aspice, ventosi tumuerunt murmuris auræ,
Plurima non solitis fulgura lapsa modis.
Obscuro tristes ceciderunt æthere nimbi,
Sparserunt lachrymas ventus & aura suas.
Terret mutati tanta inclementia cæli,
Ipsam quæ mortem ponè sequuta fuit.
Occubuit Rector, surdis Ecclesia ventis
Linquitur, aut rabido fit pia præda lupo.
Horrida tempestas & vis inimica fatigant,
Ah timidam merget sæua procella ratem.
Tùm, miseranda lues pergit regnare venenis,
Letificum toto serpit in orbe malum.
Ipse furens nitidis sese Mars iactat in armis,
Incipiunt patrio bella tumere solo.
Hanc ego tam tristem, læto cum pectore sortem
Aspiciam? lachrymas tu prohibere meas?
Ferreus est, quisquis lugubria funera ridet,
Impius est, quem non damna futura mouent.
Thalia. *Sic Elegi. Postquàm solitus dolor ora repreßit,*
Hos mulcet dictis casta Thalia suis.
Est modus in rebus, modus optimus autor agendi,

Sæpè

Sæpè nocent lachrymæ, quæ sine fine cadunt.
Quis poterit medio classi succurrere ponto?
Si tua perpetuis fletibus ora madent?
Tolle metum, planctusq́; tuos, age, collige vires,
Prospice, qua nunc sint vela regenda manu.
Instat tempestas: Dominus sua pignora seruet,
Assiduas illi fundite corde preces,
Fundite, substituat doctum fidumq́; magistrum,
Afflictam certa qui regat arte ratem.
Tolle caput citiùs, tibi dux venit ecce per vndas,
Hinc tibi Gualtherus portus & aura venit.
Hic Bullingero fidi fuit instar Achatis,
Hic cæptum peraget Relligionis iter.
Hactenus alternis præbent solatia Diuæ,
Expectat voces vtraq; virgo meas.
Salue Sancte pater, quæ te tàm læta tulerunt
Secula? Tu cæli missus ab arce venis.
Sis felix, faustusq́; precor, velut alter ab illo,
O patriæ columen, Pieridumq́; decus.
Tendimus hîc tecum duplices ad sydera palmas,
Vt Dominus nostræ sit comes ipse viæ.
Dixi. Sacra suum petierunt numina cælum,
Lætaq́; discessu signa dedêre suo.

IOHANNIS HALLERI F. Bernensis.

Nonne satis fuerat charum amisisse parentem
Helueticæ Lumen gentis in Arctopoli?
Tu quoq; nunc Tigurum spoliatum lumine tanto
Cogeris in summa viuere tristitia?
Nam Bullingerum nulli pietate secundum,
Proh, tibi, cunctipotens abstulit ipse Deus.

Qui Papæ bullas confregit, robore nullas,
BVLLAS, heus, Christi, cum pietate GERENS.
Nec non schismaticos docuit meliora, rebelles
Doctrina & scriptis, perculit & domuit.
Eximiè doctus, rerumq; expertus ad vnguem,
Syncerusq; animo, fronte serenus erat.
Zoile quid rides, Theonino dente triumphans?
Et, placet, vt tales, heus, moriantur ais?
Sunt equidem vita naturæ iure soluti,
In tamen Vtopiam non abière tuam.
Sed super astriferos procul hinc ab Vbique remotos
Cœlos, quos Christus noster & ipse tenet.
At licet hi fatis sint functi, nónne supersunt
Quàm plures docti nomine req; viri,
Qui pariter possunt erronum abstergere fucos,
Nec non Vtopicum sternere dogma tuum?
Copia semper erit nobis sat multa, nec omnes
Zoile quos velles, auferet vna dies.

IOANNIS IACOBI FRISII
de trib. Ecclesiæ Tigurinæ pastoribus,
H Z. H B. & R G.

Nuper vt apricis turgebant vitibus vuæ,
Implicitus curis, montem loca grata frequento.
Ecce super media fluuius qua labitur vnda
Limagus, aspexi ternos ex ordine soles,
Celso stare polo, quos inter maximus vnus,
Dispulit obscuram, manifesto lumine, noctem:
Atq; dies iam clarus erat, cùm protinus atra
Occulit hunc nubes squalens caligine Solem.
Mox alter subit, & pallentes leniter vmbras
Dimouet, ardenteisq; intermicat ætheris ignes.

At simul ex oculis placidus discessit & ille,
Tertius exoriens cœli consurgit ab ortu:
Luceat ergo diu, nec nos tua CHRISTE *perennis*
Lampas deficiat, sed corda accende piorum.

VVOLFGANGI HALLERI
Colophon.

Eximias alij laudes, præclaraq; vitæ
Bullingere tuæ versibus acta canunt:
Dum grati celebrant virtutes, scripta, labores,
Et quantus fueras, dum bene viuus eras.
At viuo tibi (teste DEO*) nec non morituro*
Quod fuit in votis, hoc ego dico tuis.
Excolere in sancta quosuis pietate solebas,
Solari, & puram tradere vbique fidem,
Doctrina, scriptis, monitisq; salubribus, atque
Exemplo & precibus nocte dieq; pijs.
Hæc igitur latum semper tractata per orbem
Summatim repetens, vltima verba facis
Huic comitum turbæ, zelo plenissima, sicq;
Cygnæa claudis funera voce tua.

D. BVLLINGERVS FVNERIS
sui Comitibus.

Quid gemis ô pietas? & quid mea funera plangis
Relligio? mortem cur veneranda meam
Deploras virtus? cur sic Ecclesia tristis
Luges? ac annis tot mihi culta doles?
Cur tantas fundis lachrymas Respublica dulcis?
Atq; rigas teneras plebs Tigurina genas?
Vos mea progenies, dilectaq; pignora, vobis

Cur tam mœsta mei funeris ista dies?
Nil nisi, cur tristes gemitus, suspiria, ciues
Editis, ac abitum plangitis oro meum?
IAM *satis indultum lachrymis, iustoq; dolori,*
Iustaq; sufficiunt funeris ista mihi.
Gaudia tristitiæ subeant, mihi gaudia vitæ
Æternæ in cœlis iam dedit ipse DEVS.
Nunc igitur mecum gaudete & plaudite, namq;
Accepi cursus præmia pulchra mei.
An non ô pietas? an non ô splendida virtus?
An non Relligio, filia sancta Dei?
Vestro cultori semper promissa fuêre
Cum sanctis SVMMI *gaudia summa* BONI?
His igitur (tibi laus & honos) DEVS *alme receptis,*
Cum CHRISTO *in cœlis perfruar ipse tuis.*
ET *nunc non restat dilecta Ecclesia quicquam,*
Hoc nisi, quàm sponsi sit tibi cura tui.
Sis fidei puræ semper memor, vnde salutis
Principium & finis prouenit vsque tibi.
Debita post illam, tibi sit Dilectio curæ,
Et sancto quosuis semper amore foue.
TV *quoq; magnanima & fortis Respublica, veræ*
Hæc eadem pacis vincula sola tene.
Iustitiæ ac æquo, sancto moderamine præsis,
Et gladium gestes cum pietate tuum.
Sis cauta & prudens, ac imperterrita, constans,
Sitq; tibi solo spes tua fixa DEO.
Tunc tibi procedent fœliciter omnia, sic tu
Et salua & celebris dum viget orbis eris.
VOS *quoq; dilecti nati, chariq; nepotes,*
Æqua discessum tollite mente meum.
Sic etenim vixi, sic viuo & viuere pergo,
Vt nunquam videar mortuus esse bonis.

Dum mea nam vobis non interitura relinquo
Scripta ego, per libros viuo subinde meos,
Et mundo & vobis, ad vestri nominis amplas
Laudes & famam, perpetuumq́ decus.
Ergo mei memores semper mihi, quæso, vicißim
Viuite, & ad laudes addite multa meas.
ET VOS *nunc alij, quotquot mea funera tristes*
Spectatis, tumulo condite membra meo.
Ac mecum gaudete, diu nam littoris huius
Optati requies contigit ista mihi.
Hic ego cum magno requiescam Martyre: tecum
Biblander nec non ô Theodore simul,
Æscherum iuxta, qui prudentißimus olim
Præfuit Archiuis vrbs Tigurina tuis.
Dulcis & ô tecum mea dilectißima coniunx
Quæ fueras vitæ pars peramica meæ.
Corporis hic dulci requie somnoq́ fruemur,
Angelicæ donec suscitet inde tubæ
Clangor, quò sanctis iuncti tua CHRISTE *redemptor*
Intremus cœli gaudia summa tui.
INTEREA *ô pietas, & tu pulcherrima virtus*
Vos ego cum sancta relligione rogo:
Excolite hos vestris studijs, ac moribus istis,
Quos vestri testes nominis esse decet.
Vos alacres autem studiosè incumbite, & ista
Pergite quæ verè ducit ad astra via.
Est reliquum vobis & vitæ & temporis huius
Momentum, verè, credite, dico, breue.
Sic illo vtimini, sic credite, viuite, vobis
Vt detur similis gloria, vita, salus.
NVNC *ego deuicto mundo, mundana relinquo*
Omnia, & in cœlos transeo CHRISTE *tuos,*
Possessurus ibi cœlestia gaudia, quæ sunt

Ante tuo cunctis sanguine parta pijs.
A Domino IESV *pastorem quærite vobis,*
Hunc dabit, in votis qui fuit vsq; meis.
Is mea constanter vestigia nota sequetur,
Et fidus vestri pastor ouilis erit.
Ergo mei Comites, benedicta viuite pace,
Et grati meritis, quæso, VALETE, *meis.*

B. M.

B. M.

TIGVRINAE ECCLESIAE ANTISTITI
ET EPISCOPO,

VIRTVTE, DOCTRINA, VITAEQ.
INTEGRITATE CLARISS.

MAGNI ILLIVS HVLDRICI ZVINGLII,
INSTAVRATAE ECCLESIAE AVTHORIS,
SVCCESSORI DIGNISS.

HELVETIAE GERMANIAEQ. TOTIVS
SPLENDORI ET ORNAMENTO
INCLYTO,

HENRICO BVLLINGERO SENI
DIGNITATIS PLENO,
TANQVAM PATRI OPT.

THADDAEVS DVNVS LOCARN. MEDICVS
SVO SVORVMQ. CONTERRANEORVM
EXVLVM NOMINE

OBSERVANTIAE ET GRATITVDINIS
ERGO
P.

XIIII. CAL. OCTOBR.
M.D.LXXV.



ORATIO FVNEBRIS IOANNIS GVILIELMI STVKII, IN OBITVM CLARISSIMI VIRI, DOMINI HENRICI BVLLINGERI Pastoris Ecclesiæ Tigurinæ fidelissimi.





NOBILI, SPECTATO, ORNATOQVE VIRO D. IOANNI BALTHASSARI Meysio, Castri, agriq; Gryffensee præfecto in ditione Tigurina, Domino, & cognato suo honorando.

Te BVLLINGERI *quem noui semper amantem*
Illius & tristem morte dolere scio.
Quid mirum? pater is patriæ, lumenq́, decusq́
Extitit & Christi pastor ouilis amans.
Qui pauit nostras mentes, animosq́ sacrati
Verbi ceu vero Nectare, & Ambrosia.
Commoda magna dedit nobis, mors illius ergò
Abstulit, heu, miseris commoda magna nimis.
Iactura tanta quis dignos fundere fletus,
Quæ lachrymæ damnum hoc æquiparare queant?
Scilicet hoc meruit peccandi nostra libido,
Vindicis & iusti sic tulit ira Dei.
Hasce meas igitur tristes, iustasq́ querelas
Accipe, meq́ vt amas, semper amare velis.
Det Deus vt proauum laudes Spartamq́ tueri,
Quam nactus, poßis, terq́ quaterq́ vale.

Ioannes Guilielmus
Stukius.

ORATIO FVNEBRIS IN OBITVM D. HENRICI BVLLINGERI TIGVRINAE ECCLESIAE PASTORIS.

CVM innumera ſint, patres, fratresq́; obſeruandi, Dei dona, atque munera, quæ ab illo ceu perenni, & inexhauſto omnis boni fonte, quotidie, atque adeò ſingulis penè momentis in homines promanant, tùm nullum, meo iudicio, præſtantius, nullum auguſtius, nullum ſalutarius dici exiſtimariúe debet, quàm eiuſmodi virorum copia & facultas, qui eximijs ſancti ſpiritus virtutibus aucti atque ornati, illis, & breuis laborioſæq́; huius peregrinationis piè ſanctè, honeſteq́; traducendæ, & illius immortalis, ac beatiſsimæ vitæ adipiſcendæ, viam rationemque commonſtrant. Sic enim fert, ſemperq́; tulit humanitatis ac ſapientiæ diuinæ ratio, vt ad homines ea, quæ ad illorum animi corporisque ſalutem pertinent, docendum, non tam angelorum, quàm mortalium hominum opera, ac miniſterio vteretur, idque cùm ob alias, tùm hanc potiſsimùm ob cauſam, quò illos hac ratione tantò firmiore inter ſe, arctioreq́; charitatis, ſocietatisq́; vinculo conglutinaret. Eſt autem optima, veriſsimaque, & hanc vitam benè beateq́; viuendi, & illam alteram conſequendi ratio in vera ſolidaque religione poſita, qua quidem ſola, vt non modò Lactantius, verùm etiam ipſe Plato veræ licet religionis ignarus affirmauit, brutis animantibus longè antecellimus. Hęc enim eſt, quę geminũ illud, quo Deo hominibusq́; obligati obſtrictiq́; ſumus, officiũ docet & explanat, quaq́; (vt vel ipſius nominis notatio ſatis innuit) cũ Deo pariter, & ſimul inter nos mutuò, ceu vinculo quodã, nodoq́; firmiſsimo colligamur, atq; cõiungimur, ita vt omnis & diuinę, & humanę ſocietatis fundamentũ optimo iure dici merentur. Ac omnino verę, ſolidæq́; religionis quanta ſit vis, quãtusq́; ſplendor, vel ex eo ſatis apparet, quòd vel in illius falſa quadã,

& fallaci ſpecie,ſeu potius vana,& inani vmbra, hoc eſt, ſuperſtitione & idololatria omne olim ethnici (vt hodie quoq; ferè fieri videmus) ſalutis incolumitatisq; ſuæ,ſocietatis deniq; humanæ præſidium atque robur collocarunt. Vnde etiam ſæpe homines aſtutos & callidos ficta falſaq; religionis ſimulatione auctoritatem ſibi, poteſtatemq; ſummam peperiſſe, & imperitam multitudinem hoc quaſi iniecto fræno à defectionibus,tumultibus,ſeditionibus cohibuiſſe, in officio, obſequioq; continuiſſe legimus. Sic enim de Numa Pompilio, Scipione Affricano,L. Sylla,Q. Sertorio,de Minoe Cretenſiũ,Piſiſtrato Athenienſium tyranno,Lycurgo Lacedæmoniorũ,Seleuco Locrenſium legislatoribus, deq; innumeris alijs Valerius Max. alijq; hiſtorici tradiderunt.Hanc quoq; ob cauſam ſuperſtitionũ atq; idololatrię doctores,&interpretes,cuiusmodi olim apud Gallos Druidæ, apud Perſas Magi, apud Aſſyrios Ghaldęi,apud Indos Brachmani,apud Æthiopas Gymnoſophiſtæ, apud Latinos & Romanos Hetruſci & augures,apud alios alij atq; alij extiterũt, magno ſemper in pretio,honore,auctoritate à ſuis habitos cultosq; fuiſſe prophana literarum monumenta teſtantur. Quòd ſi itaq; ſuperſtitionis,quæ callida quędã veræ religionis malitioſaq; eſt imitatrix, quaſiq; ſimia, tanta vis vulgò, ſed falſò eſſe creditur,ſemperq; credita eſt,quid nobis quęſo de ipſa vera,germana,ſolidaq; religione eſt ſentiendum? an non illi potius ſoli omnis ſalutis,proſperitatisq; ratio,humanæ ſocietatis conſeruatio accepta eſt ferenda? Ita ſanè. Quamobrem optimo meritiſsimoq; iure beatæ,florentesq; illæ demũ ciuitates, reſpub, regna iudicari æſtimariq; debent,non quæ magno auri & argenti pondere,opum diuitiarumq; cumulo,quæ copijs militaribus, quæ ciuium frequentia,quæ ædificijs ſplendidis,atque munitis,omnium deniq; rerum ad victum cultumq; corporis, vitæ humanæ ſuſtentationẽ pertinentium copia abundant:ſed potius quibus veri & fideles puræ religionis doctores, diuinæ voluntatis (quæ vnica religionis eſt regula) præcones,vitæ morumq; duces atq; magiſtri ſuppeditant. Hi enim, hi inquam omni auro, argento, theſauris huiuſce mundi infinitis partibus pretioſiores,ciuitatibus,rebuſpub. regnis,in quibus verſantur pacis,concordiæ,tranquillitatis, omnis ſalutis incolumitatisq; auctores

exiſtunt,

existunt. Verùm ingens hoc Dei beneficium plęriq; hominum, qua sunt naturę ingenijq; peruersitate, contemnunt, quod plurimi ab illis fieri debebat. Tantùm igitur abest, vt huiusmodi sibi ad suam salutem diuinitus concessos, quasiq; è cœlo delapsos vitæ duces, ipsius Dei præpotentis legatos atque vicarios, qua par erat, beneuolentia obseruantiaq; prosequantur, illorum pręceptis monitisq; diuinis obtemperent, vt illos potius vel contemnant atq; irrideant, vel etiã acerbo capitaliq; odio prosequantur, calumnijs conuicijsq; onerent, ceu monstra quædã atq; portenta ex hominum societate exturbanda, in vltimas terras releganda execrentur, detestentur, diris deuoueant, deniq; omni iniuriarũ genere, tormẽtis, supplicijsq; exquisitis & inusitatis afficiãt. Quo sane hominũ ingratissimorũ detestabili inexpiabiliq; scelere ad iram prouocatus iustus ille scelerum vltor, & vindex, omnes huiusmodi beneficij sui contemptores suis illis, quibus indignissimi sunt, fidelissimis ministris destitutos, falsorum doctorum, seu potius seductorum, & impostorum, luporumq; immanissimorum prædæ expositos, in cæcis & mortiferis errorũ, ignorantiæque tenebris versari, in omnium scelerum, flagitiorumq; cœno volutari, atque ita tandem ad æternos animi corporisq; cruciatus rapi, trahiq; patitur. Vt enim sublatis columnis, ędificij ruina, sublato lumine, tenebræ, sublato viæ duce, errores, sublato pastore, ouium dissipatio, sublato imperatore, exercitus clades, sublato gubernatore, naufragium: sic quoque sublatis diuino iudicio spiritualibus hisce columnis, luminibus, ducibus, pastoribus, imperatoribus, gubernatoribus, ciuitatum populorumq; ruinam, tenebras, errores, dissipationem, clades, naufragia, animi corporisque interitum sequi omnino est necesse. Hinc Salomon, Prophetia, inquit, cùm defecerit, populus dissipabitur: populus verò, qui custodit legem, beatus est. Horum quæ adhuc à me dicta sunt, clarum, & illustre exemplum habemus in gente Iudæa, quam Deus posthabitis neglectisq; ferè omnibus alijs nationibus, ingenti complexus amore, ingentibus quoque tam animi, quàm corporis beneficijs cumulauit. Inter quę principem illud locum obtinuit, quòd illis idoneos, fidosq; sacrosanctæ suæ voluntatis internuntios atq; interpretes, sacerdotes nimirum, & prophetas largitus est, quorum ex ore tan-

quàm ex sanctuario illis responsa, hoc est, sui legitimè placandi, & venerandi, vitæ huius bene instituendæ atq; formandę, ęternæ beatitudinis potiundę optima saluberrimaq; documenta dedit. Quandiu igitur gens illa grata erga Deum mente diuinos huiusmodi viros amauit, coluit, obseruauit, illorum præceptis, quę ex sancti spiritus inspiratione erant profecta, sese obsequentem, obedientemq; prębuit, tandiu fœlicissimo animi, corporis, omnium rerum, fortunarumq; suarum statu floruit. At verò simulatq; (qui ferè perpetuus, vt sacrę docent literæ, illius populi mos, consuetudoq; fuit) illos Dei legatos ad se missos spreuit, irrisit, illorum oraculis, monitisq; fidem, obedientiamq; denegauit, omni iniuriarum genere vexauit, vita quoq; priuauit, Deus illos veris prophetis & sacerdotibus orbatos, planis & impostoribus omni mendaciorum genere deludendos, decipiendosque permisit, tandemq; in extremas miserias, clades, calamitates, vilissimam, abiectissimamq; seruitutem detrudi pręcipitariq; curauit. Quamobrem creberrimè sancti prophetæ in acerrimis illis suis actionibus, & inuectiuis, cûm eximium hoc & singulare Dei erga illos beneficium commemorant, tûm nefarium, fœdumq; eius contemptum illis exprobrant. Sic enim, vt ex innu-
Ieremiæ 7. ,, meris vnicum tantum proferam, Deum Ieremias loquentẽ in-
,, ducit: Prophetas seruos meos misi ad vos, per diem mane sur-
,, gendo, & non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam,
,, sed indurauerunt ceruicem suã, & peius egerunt, quàm patres eorum. His deinceps mox subiungit pœnæ comminationem, quæ fuit extrema & horrenda regni regionisque vastitas. Similiter per Micheam prophetam in longo illo, quem texit, diuinorum beneficiorum catalogo exprobrationis vim obtinente hoc quoq; commemorat, quòd ante illos Moysen, Aaronem & Mariam miserit, ceu optimos viæ vitæq; duces: quorum trium nomine infiniti alij sacerdotes, prophetæ, reges, duces, regni, ecclesięq; gubernatores sunt intelligendi. Sed quid opus est alienorũ exemplorum recitatione? Nos, nos inquam Tigurinos præ omnibus ferè alijs populis Deus misericors singulari hoc beneficio egregiè ornauit. Quàm multos enim ab hinc ferè 50. annis, ex quo tempore vera puraq; religio ex tenebris, quibus diu obruta, sepultaque iacuit, in lucem rursus emersit, viros doctrina, pie-

na,pietateque vel ad admirationem vsque præstantissimos nobis subministrauit, qui partim piæ honestæque vitæ exemplo, partim egregijs suis concionibus, partim diuinis literarum monumentis,maximo patriæ, ecclesiæque nostræ emolumento pariter atque ornamento fuerunt? Sed quia nos ingrati ingens hoc Dei beneficium non tanti facimus, quanti reuera facere deberemus, virisque illis præclaris, & eximijs non debitam meritamque obseruantiam, & obedientiam præstamus, multi quoque nostrum illos contemptu,odio,maleuolentiaque prosequuntur, idcirco Deus insignis huiusce nostræ ingratitudinis vindicandæ, & vlciscendæ gratia multos iam nobis ex egregio illo grege eripuit,& ad se transtulit. Huiusmodi sunt,vt illos tantùm commemorem,qui mea ætate floruerunt,quorum etiam nonnullorum opera in literarũ studijs optima, fidelissimaque vsus sum, Pellicanus, Bibliander, Martyr, Gesnerus, Ammianus,Frisius,Fabritius, Vuerdmüllerus, lumina nostræ patriæ,imò vniuersæ reipublicæ Christianæ clarissima,de quorum laudibus,& egregijs in ecclesiam, scholamq; nostram meritis, atque beneficijs si quis pro dignitate dicere vellet, tempus illum profectò citius, quàm oratio deficeret. His annumerandus est, minimeque silentio prætereundus D. Ioannes Vuolffius,quem postremum ex illo numero Deus hinc ad se euocauit, qui munus hoc theologicum per multos annos summa cum laude,dignitate,vtilitateque sustinuit,atque obijt, Ecclesiæ,Scholæque nostræ emolumento,ornamentoque magno fuit. Fuit enim vir ille,quemadmodum nostis omnes,cûm vitæ,morumque integritate,& innocentia laudabili,tum iuris diuini,atque ciuilis,historiarum, totius ἐγκυκλοπαιδείας notitia,prudentia, facundiaque admirabili præditus. Cuius præterea summa grauitas singulari quadam comitate, lenitateq; condita atq; temperata in ipsius oris,vultus,totiusq; corporis augusta quadã amabiliq; forma mirabiliter eluxit. Verùm harũ omniũ illius virtutũ claro inprimis & illustri argumẽto, fuerũt tã actiones illius piæ,& honestæ,quã orationes & Scholasticæ, atq; Latinæ, & Ecclesiasticæ,atque Germanicæ,piæ, doctæ, elegantes,quarum sæpè magna cum voluptate, vtilitateque nostra participes fuimus. Testantur idem etiam nunc hodie, & quidem, quandiù hæc mundi machina stabit,testabuntur pręclara eius, doctrinæ

eruditionisq; plenissima, literarum monumenta, quorum alia quidem iam in lucem emanarunt, & extant, alia verò in illius lautissima bibliotheca custodiuntur, donec tandem & illa filij, quem post se ceu strenuum suarum virtutum imitatorem reliquit, opera atque studio ex tenebris latebrisq; illis in lucem erumpant, posteritatiq; omni seruiant. Omitto hic plurimos alios, quorum licet publica scripta nulla extent, plurimæ tamen maximæq; virtutes, & merita in patriam, ecclesiamq; nostram præstantissima, perpetua laude, prædicationeq; dignissima extiterunt. Hisce igitur omnibus clarissimis, planeq; diuinis viri, paucis ab hinc annis, cum summo non modò nostræ reipub. verùm etiam vniuersi Christiani orbis detrimento, nudati spoliatiq; sumus. Quæ quidem pœna diuina, quauis opum, diuitiarumq; vel amplissimarum amissione longè grauior, tetrior, funestior iudicari debet. Quoniam autem nos dura indomitaque ceruice, incircunciso obstinatoq; corde, ferrea, perfrictaq; fronte, & audacia præditi nullum peccandi, verbum diuinum, eiusque ministros contemnendi finem facimus, idcirco Deus quoque nullum nos puniendi, castigandiq; finem facit. Quantam enim, prohdolor, quàm grauem, insanabilem, mortiferamq; plagam, iam recens nobis inflixit? maior certè est, quàm vt illam quisquam vel oratione, vel cogitatione complecti possit. Eripuit enim nobis, horret animus dicere, eripuit inquam nobis, eheu, plurimis nimirum nostris vitijs atque peccatis irritatus, Bullingerum nostrum, patriæ, ecclesiæque nostræ parentem fidelissimum, pastorem vigilantissimum, lumen clarissimum, columen firmissimum, cuius sapientia, prudentia, consilijs, virtutibus immortalibus, post Deum, maximè perditis hisce temporibus nitebamur, ac fulciebamur. O iacturam calamitosissimam, o damnum ingens, quod nullis vnquàm quantúmuis plurimis, & maximis commodis compensari, atque sarciri poterit. Qualis enim, proh Deum immortalem, & quantus ille vir fuit, quot quantisq; sancti Spiritus donis, tanquam egregijs Ecclesię bene gubernandæ præsidijs instrumentisq; instructus? Tot profectò & tantis, vt illum, ceu organum præstantissimum ad Dei gloriam, ad patriæ, ecclesiæq; nostræ salutem dignitatemq; natum, imò ab ipso Deo ab æternis sæculis fuisse destinatum nomini

mini dubium esse queat. O vtinam tanta mihi dicendi vis & facultas suppeteret, qua voluntati, studioq; meo diuinas illius laudes efferendi, celebrandiq; flagrantissimo satisfacere aliquo modo possem. Sed vt mihi planè persuadeo, nullius tantum est vel ingenij lumen, vel acumen memoriæ, vel tam singulare, admirabileq; orationis flumen, quo tanti viri præclaræ ac præstantes virtutes vel adumbrari, nedum pro dignitate exornari satis, & illustrari posse videantur. Quamobrem minimè omnium mihi hoc arrogo & assumo, qui meę tenuitatis mihi optimè sum conscius, vt id dignè à me vllo modo præstari posse existimem. Verùm cùm ipsius Dei Opt. Max. virtutum immensa infinitaque magnitudo (cui vel cogitandæ, non modò explicandæ omnes homines, quid dico homines? ne omnes quidem angeli pares esse queant) minimè nos à merito debitoq; illas pro capacitate, tenuitateque nostra celebrandi munere officioque deterreat, vel certè deterrere debeat: cur non similiter ausim ad optimi quoque huiusce nostri parentis virtutes non quidem pro dignitate explicandum, quod longè supra vires meas esse profiteor, sed breuiter atq; summatim cum grati mei animi testificatione perstringendum, & vobiscum vnà grata memoria recolendum accedere? Quamobrem si qua est ingenij mei scintilla, si qua orationis meæ guttula vel minima, in tanti nunquam satis laudati, laudandiq; viri laudes hoc quidem tempore vobis audientibus conferatur: de quibus vt me non tam dicentem, quàm balbutientem ęquis beneuolisq; animis audiatis, vehementer vos, auditores optimi, etiam atque etiam rogo.

Sed quid agam? Vnde potissimùm enordiar? Maxima enim non modò animi mei præ nimio mœrore perturbatio, verùm etiam dicendi sylua, atque materies, ita mentis ingenijque mei aciem perstringit, vt neque vnde mihi sit incipiendum, neque quomodo progrediendum, neque vbi desinendum satis constituere possim. Attamen ne sine omni ordine (quod mihi in tanta animi mei perturbatione, rerumque congerie facillimè acciderit, ignoscendumque forsan fuerit) erret hæc mea atque vagetur oratio, hac quidem via rationeque progredi certum est, vt primò de animi illius præclaris virtutibus, deindè orationibus, actionibusq; laudabilibus, tum de corporis, exter-

nisq; bonis egregijs, postremò de illius morbo atq; morte gloriosa pro mea virili verba faciam. Quæ tandē & illius, qua nunc fruitur, beatitudinis mētione et miserię, orbitatisq; nostrę deploratione, & breui quadam admonitione concludentur. His ergo quasi cancellis atq; terminis circumscriptus, definitusq; erit hic meæ orationis cursus, quem & te, Deus immortalis, vt tuę gratiæ, atque spiritus, & vos, auditores humanissimi, vt vestræ æquitatis beneuolentiæq; aura prosequamini, supplex rogo.

Quod ad primum igitur attinet, de quo dicere mihi proposui. Veteres illi ethnicorum philosophi, quod nemo vestrum ignorat, qui vel extremis, quod dicitur digitis illorum scripta attigit, animos mentesq; humanas ex illa suprema, immensa & infinita mēte quasi decerptas, ac delibatas, illi συνουσίας, hoc est, eiusdem cum illa naturę, siue substantiæ esse sibi falsò persuaserunt. Quem in errorē, vt est verisimile, illos impulit cùm ipsius mentis humanæ, qua quidem animantibus brutis longo interuallo antecellimus, diuina quædam præstantia, tùm quòd nonnihil intellexerūt de aura illa, siue spiraculo vitę, quod Moyses à Deo primi illius hominis faciei inspiratum fuisse tradit. Hinc Horat.

Atque affigit humo, Diuinam particulam auræ.

Quòd si igitur philosophi illi, hunc nostrum verum philosophum, qúi veræ sapientiæ studio, atq; cognitione mirificè excelluit, cognouissent, minimè profectò dubitassent illius potissimùm mentem supremæ illius mentis particulam, auram, scintillam, surculum, riuulum appellare, quibus nominibus illi omnes humanas mentes, atq; animos insignire consueuerunt, non malè mea sententia, siquidem non hisce nominibus quandā diuinæ atq; humanę mentis συνουσίαν intellexissent, de quo nolo hic pluribus disputare. Fuit igitur Bullingeri nostri mens (quæ nunc corporis compage & vinculis soluta in cœlis viuit & viget) minimè hebes, & obtusa, sed ipsius nimirum spiritus sancti lumine illustrata, acris valdè, acuta, perspicax, solers, ita vt nullę res tam subtiles, tam difficiles ad intelligendum, & obscurę, tam abstrusæ atq; reconditę, tam intricatę, perplexę, atq; confusę fuerint, quas non facillimè penetrare, inuestigare, comprehendere, dijudicare atq; discernere, explicare deniq; potuerit. In ęnigmatis (quod certè magni acuminis est indicium) quibusuis dextrè celeriterq; soluendis quasi alter quidam Oedipus videtur fuisse.

Memoriæ,vti noſtis,magna eſt præſtantia,& vtilitas, quam id-
circo rectè vereq́; Cicero rerum,verborumq́; cuſtodem,theſau
rum,fundamentum,Plutarchus τῆς παιδείας ταμεῖον,hoc eſt,doctri-
nę penu ſiue promptuarium,alio in loco εὐβουλίας,hoc eſt,bonorū
conſiliorum procreatricem,poetę deniq; Muſarum matrē, atq;
nutricem appellarunt.Hac ille adeò tenaci, firma, planeq́; diui-
na præditus fuit, vt nihil quod ſemel illius menti eſſet infuſum,
elabi rurſus,& effluere potuiſſe videretur.Cumq; illa vel ipſa na
tura mirum in modū valeret,tùm aſsidua exercitatione à pueris
ſuſcepta, ediſcendis ad verbū multis ſcriptis,inter quæ fuerunt
Virgilij opera Æneidos, quę ad vnguē tenuit,tantùm effecit,vt
ſenectus, quæ memoriæ mors plerunq; eſſe conſueuit,de illius
virtute parum admodùm detraxerit. Hac igitur ille mentis,hac
memoriæ vi & virtute incredibili immenſam ferè illam,& inex
hauſtam linguarum,doctrinarum, rerum deniq; humanarū di-
uinarumq́; ſcientiam,qua cumulatus fuit, ſibi comparauit. Ac
trium quidem illarum linguarum Hebreæ,Græcæ,atq; Latinę,
quæ omnium aliarum linguarū principes,matrices,& procrea-
trices videntur poſſe appellari, ſummam cognitionem habuit.
Lingua latina,cuius vſus hodie vbiq; terrarū maximè cōmunis
eſt,& peruagatus,ſiue quid illi vel ſubitò & ex tempore ſcriben
dum,ſiue loquendū eſſet,tam expeditè vſus eſt,atq; hac verna-
cula,& populari noſtrate.Omnibus pręterea illis artibus & do-
ctrinis liberalibus,quæ ſummę illi omnium reginæ & dominæ,
Theologię ancillantur,egregiè inſtructus ac perpolitus fuit, in
quib.ab ineunte ætate Coloniæ pręſertim multū operę ſtudijq́;
poſuerat. Quid dicā de illius inſigni & cōmemorabili omnium
non modò noſtratiū,& domeſticorū, verùm etiam externorū,
& priſcorum,& recentium,& ſacrorum & prophanorū iurium,
legum,morum,conſuetudinū,bellorū,rerum geſtarū,exemplo
rum deniq; notitia,quàm ille partim vſu & experientia, partim
aſsidua,indefeſſaq́; oīs generis librorū lectione fuit conſecutus?
Teſtes huius fuerunt plurimę illius,ex hac nimirum rerū cogni
tione effloreſcentes,& redundantes publicę,priuatęq́; ſiue fami
liares orationes,quas audiuimus. Idem etiamnū hodie teſtātur
pręclara illius De origine errorū,De concilijs,aliaq́; huiuſmodi
literarū monumenta,quæ in lucem ſunt edita. His addere licet
cùm alia,quę nondum extant illius ſcripta,tùm verò atq; inpri-

mis ingens illud volumen,quod paulò ante morbum illum suum mortiferum absoluit, nostroque collegiò dedicauit,quo res patriæ nostræ diligentissimè est complexus, quodq; nunc tanquam præclarum illius donum ac monumentũ in bibliotheca nostra diligentissimè asseruatur.Iam verò rerum sacrarum,cœlestium ac diuinarum , quæ à sensu intelligentiaq; humana abstrusæ sunt atq; reconditæ,& ad ęternam salutẽ beatitudinemq; faciunt,tanta fuit cognitione instructus,quanta dici potest maxima,de qua postea quoq; nonnihil dicetur.Hanc ille ex θεοπνεύστων,hoc est,sacrosanctorum,& canonicorum illorum librorum, ceu fontium saluberrimorum assidua lectione,meditatione,interpretatione potissimùm hausit. Plurimùm quoq; in Patrum, præsertim D.Augustini augustissimi sanè theologi scriptis versatus, & exercitatus fuit,quæ tamen omnia summo iudicio,diligentiaq; ad canonica illa veteris nouiq; testamenti scripta, ceu ad Lydium lapidem explorauit.Hoc autem ille fecit ex ipsorum patrum sententia atque consilio, qui,qua fuerunt pia modestia, minimè eandem suis præclaris scriptis,quam Canonicis illis libris fidem auctoritatemq; tribui noluerũt,quin potius illa cum dijudicatione legi , & quæ canonicis libris consentiant, recipi, quæ verò ab illis discrepent,repudiari pręceperunt,quod quidẽ nemo,qui vel primoribus labris illorum scripta degustarit,ignorare potest. Historicos præterea illos ecclesiasticos,qui primitiuæ ecclesiæ originem,progressum,statum conditionemq; complectuntur,insatiabili quodam,inexplebiliq; studio euoluit,atq; perlegit,ita vt omnium illarum historiarum peritissimus fuerit. Ipsos quoq; Scholasticos,vti vulgò appellantur,scriptores non omnino quidem ille neglexit,hoc tamẽ in illis legendis iudicio versatus est,vt quę in illis consentanea canonicis veteris & noui testamenti literis reperiret,ea amplecteretur,quæ dissentanea & repugnantia,aspernaretur.Atque hac quidem ille mentis,ingenij,iudicij,memoriæq; ui , acumine,celeritate,pręditus,hac varia,copiosa,& multiplici linguarũ,artium,diuinarum,humanarumq; rerum cognitione plenus atq; refertus fuit. Quod quidẽ lautũ copiosumq; suum talentũ,vt ita loquar,minimè inutile & infructuosum iacere passus est , quin illud potius ad Dei gloriá, ad patrię,ecclesiæ,scholęque vtilitatem multiplici cum fœnore

fide-

fidelissimeq; contulit, quemadmodum ex sequentibus magis patebit. Ad hanc porrò mentis, intelligeutiæ, scientiæ, cognitionisq; prestantiam accessit cordis illius omniumq; affectuum summa puritas, ita vt illius cor sancti spiritus fanum & delubrum, omnium virtutum domicilium, quasique sacrarium optimo iure dici potuerit. Cor enim habuit non duplex, sed simplex, apertum, candidum, syncerum, integrum, ingenuum, ab omni fuco, dolo, fraude, simulationibus atque dissimulationibus alienissimum. Nō habuit, vt sacra scriptura loquitur, cor, & cor, hoc est, aliud in ore linguaq; promptum, aliud id pectore clausum, quin potius oris illius atque pectoris pulcherrimus consensus, concentusq; extitit. Cor illius omnis secreti, & arcani, quod quidem illius fidei commissum erat, cōtinentissimum, fidelissimus quasi custos, seu depositarius fuit. Cor habuit lene, mansuetum, ad iram tardum, ad veniam dandam, ignoscendum ijs, à quibus læsus, offensusúe fuerat, propensum, ab ira diuturna, ab odio, inimicitijs, inuidia, maleuolentia alienum, charitate gemina erga Deum atque proximum flagrantissimum. Cor illius concordiæ, & pacis amantissimum fuit, ab omnibus controuersijs, discordijs, rixis, contentionibus, & dimicationibus vehementer abhorruit. Itaque multas ille domi forisq; controuersias cûm publicas, tûm priuatas, vel politicas, vel ecclesiasticas componere, multosque non modò ciues, verùm etiam extraneos & peregrinos hostili à se inuicem odio, inimicitijsque dissidentes reconciliare, ad gratiam, amicitiamque Christianam reuocare sedulò est conatus. Cor præterea illius sobrium, frugale, temperans, ab ebrietate, gula, omnium voluptatum illecebris ac lenocinijs auersissimum fuit. Cor habuit castissimum, prauæ & nefariæ libidinis venerisque expers: cuius sane testis quoque est, vidua illius castitatis plenissima vita, quam post optimæ castissimæq; sue coniugis obitum, degit. Cor illius minimè omnium iniquæ mammonis, auaritiæque mancipium, sed potius beneficentiæ, liberalitatis, hospitalitatisq; studiosissimum fuit, quo ille ad peregrinorum, exulum, pupillorum, viduarum, inopum ac mendicorum inopiam subleuandam & sustentandam nullis, quas habuit mediocres, bonis ac facultatibus suis pepercit. Quid dicam de cordis illius fortitudine, & ro-

bore aduerſus omnes doloris ſtimulos, rerum aduerſarum fulmina, carnis, mundi, Sathanæ blandimenta pariter atque terriculamenta firmo, conſtanti, inuicto, & inexpugnabili? Quid de eiuſdem ſumma modeſtia, humilitate, ſubmiſsione, qua ab omni faſtu, arrogantia, ſuperbia, leui ſtultaq; verborum iactatione alienus: quò virtutibus ſublimior, gloria, laude, honoribus florentior, tantò ſubmiſsius ſe humiliusque geſsit, ita vt qui dignitate, auctoritateq; omnes ſuperabat, omnibus par & æqualis eſſe videretur. O cor verè cordatum, & aureum in quo Spiritus ſanctus, omniumq; virtutum chorus habitauit, cuius affectus Spiritus ſancti imperio morigeri, & obſequentes, ſedati, moderatiq; fuerunt. Itaque minimè profectò mirum eſt illum tot, & tantarum cordis virtutum comitatu ſeptum tam puram, ſanctã, religioſam, omnis criminis, vitijq; inſignis, vel labe, vel etiã ſuſpicione vacuam egiſſe. Hac ille certè, ceu luce quadam clariſſima omnibus ad piè, ſanctè, honeſteq; viuendum præluxit, omnibus etiam à religione noſtra alieniſsimis, maleuolis, & obtrectatoribus maledicendi quidem conuiciandiq; anſam præcidit, laudandi verò vberrimam ſegetem præbuit. Virtutis enim tantus eſt ſplendor, tanta vis, vt hoſtes etiam ad diligendum alliciat, & ab illis vel inuitis laudem extorqueat. Atq; hæc quidem de præſtantiſsimis illius & mentis, & cordis virtutibus, non quidem pro illarum magnitudine, ſed pro tenui mea facultate ſint dicta. Quarum tamen præſtantia, & dignitas clarius adhuc elucebit ex illarum effectis atq; fructibus, hoc eſt, præclaris reipub. eccleſiæq; vtiliſsimis orationibus, & actionibus, de quibus nunc, vt ab initio mihi propoſuerã, ſecundo loco, eſt dicendum. Sunt enim, vti noſtis veræ virtutes actuoſæ, pulcherrimarum vtiliſsimarumq; actionum procreatrices, in quibus etiam illarum vis maximè cernitur. Vt igitur primum ab orationibus illius publicis, ſacris, ſiue eccleſiaſticis exordiar, quibus creberrimè ſumma cum vtilitate, voluptateq; frui ſumus ſoliti, quid quæſo illis non dico à me, ſed à quoquam vel eloquentiſsimo dignum ſatis dici queat? Fuit enim ille admirabili dicendi vi & facultate, nõ vtili modò, & ſalutari, verumetiam amabili, ſuaui, iucunda præditus, qua nõ de lana, vt ita loquar, caprina, hoc eſt, de rebus leuiculis, vanis, inanibus, ſed maximi momenti & pon-

deris,

deris,ad æternam saluté beatitudinemq; pertinentibus pro concione disseruit. Consilium illud Dei arcanum & occultum de redimendo liberandoq; ex potestate sathanę, peccati, mortis, inferni humano genere per vnigeniti sui filij mortem, atq; sanguinem, à Deo ab æternis seculis initum, ab eodē in paradiso parentibus illis humani generis post eorum lapsum primò patefactum, varijs postea oraculis, visionibus, ceremonijs, vaticinijs adumbratum & confirmatum, tandem tempore à Deo ordinato mirabili inexplicabiliq; ratione ad exitum perductum, invniuerso mundo promulgatū, quanta non modò animi, corporisq; contentione, verùm etiam perspicuitate creberrimè nobis proposuit, & inculcauit? Id quod non sine causa fecit, hoc enim concilium etsi humanæ rationi contrarium, gentibus stultitiæ nomine sordet, Iudæos plurimùm offendit, tamen vnicum est salutis, religionisq; nostrę caput, fundamentum, prora, vt ita loquar, & puppis. Quamobrem si non eleganter, at amanter, veritatiq; consentaneè illa mihi videntur dicta.

Quæ quondam cecini Graia, pinguiq; Camœna
In nomen tanti, ductus amore, viri.

Βουλλιγγῆρε γέρον βουληφόρος εἰς πανάριστος
Βουλῆς οὐχὶ βροτῶν, ψευστῶν, μᾶλλον δὲ θέοιο
Αμβροσίου κήρυξ, ὅς μουνογενὲς τέκος αὐτοῦ
Εὔσπλαγχνος θέλεν ἄλγεα πολλὰ παθεῖντε, θανεῖντε
Οφρα ἡμᾶς ῥύσῃ στυγεροῦ κρυεροῦτ' ἀίδαο.
Ω βουλῆς ἐυβούλ' ἥμεντε βιός σοός ἐστιν
Πάντ' ὅστις τελέθει πίστιν κεκτημένος ὀρθὴν.
Χαῖρε γέρον πατρίδος γέρας, εὔχομαι τὴν κραδιήν μου
Ως σοὶ θεὸς μακρόν γῆρας, καὶ θύμηρες ὀπάζῃ.

Quàm præterea præclarè, & diuinitus de cæteris omnibus religionis Christianæ mysterijs, omnē sensum intelligentiamq; humanam superantibus, quàm perspicuè differere est solitus, ita vt quiuis de vulgo qui modò attentas aures, mentemq; adhiberet, diuina adiuuante gratia facillimè ea posset intelligentia assequi: vt de Deo, de eius adorāda magis, quàm curiosius scrutanda & vnitate trina, & trinitate vna, īmensa & infinita maiest. potētia,

ſapientia,iuſtitia, miſericordia, alijſque virtutibus. Deinde de mundi,omniumque rerum tàm viſibilium, quàm inuiſibilium mirabili creatione ex nihilo, & conſeruatione atque adminiſtratione, tùm de angelorum natura, & nonnullorum quidem qui diaboli, hoc eſt, calumniatores in ſacris literis appellantur, ſuperbia,defectione,ruina,malitia,exitio æterno:aliorum verò, qui Dei miniſtri atque ſatellites, hominum cuſtodes dicuntur, perſeuerantia,beatitudine, munere atque officio. Præterea de hominis,qui ex corpore terreno,animoq; cœleſti Dei repræſentante imaginem,ab ipſo Deo primùm fuit conflatus,beatiſsimo ſtatu, turpiſsimo miſerrimoq; caſu, lapſuque, extrema mentis, voluntatisq; corruptione, ad peccandum procliuitate. Adhæc de ipſius peccati, quod per hominem in mundum inuaſit, originalis,actualisq; vi peſtifera,atque mortifera:de morte,quæ eſt peccati ſtipendium,prima & ſecunda:de lege,quæ eſt pœdagoga ad Chriſtum,peccati,pœnæq; ſpeculum, & morali, & cæremoniali, & iudiciali ab ipſo Deo lata ac promulgata. Præterea de Chriſto,qui legis finis eſt,eius perſona vna, naturis duabus indiſſolubili vinculo coniunctis,proprietate diſtinctio: de eiuſdem officio regio,pontificio,ac prophetico, inuſitata ineffabilique conceptione,natiuitate humili,miraculis ſtupendis, doctrina ſalutari,innumeris, quibus eſt perfunctus ærumnis, animi, corporiſque laboribus, atque doloribus, morte ignominioſa, ſepultura honorifica, reſurrectione glorioſa, aſcenſione in cœlos triumphali, ſeſsione ad dextram Dei magnifica, reditu ad extremum iudicium gloriæ ac maieſtatis pleniſsimo. Item de fide in Chriſtum iuſtifica,viua, charitate operoſa, de pœnitentia,regeneratione, bonis operibus:de verbo Dei, de ſacramentis,Baptiſmo nimirum, & Cœna Dominica ad fidem,charitatem,ſocietatemq; fraternam alendam,fouendam, corroborandamq; facientibus. Denique de Eccleſia Chriſti ſponſa,& corpore in hoc mundo militante, in altero triumphante, cùm viſibili,tùm inuiſibili,de veris eius,proprijsq; notis, quæ ſunt verbi diuini puri puti prædicatio,Sacramentorum legitima adminiſtratio: de eiuſdem regimine, rectore, & gubernatore perpetuo ſpiritu ſancto.Hæc ferè ſunt præcipua religionis Chriſtianę capita atque myſteria, nobis ad ſalutem cognitu vtilia,imò neceſſaria,

cessaria,quæ breuiter nunc à me percursa,ille pro concione copiosè,perspicuè, sacris literis congruenter, conuenienterque explicare consueuit. Contra verò omnes quæstiones plus futilis subtilitatis,quàm vtilitatis habentes, vanas & aniles fabulas,hominum commenta, atque figmenta,errores de Deo, rebusque diuinis peruersos & pestiferos improbabat, verbi diuini gladio feriebat,ac refellebat, ex hominum mentibus radicitus euellere,& extirpare conabatur. Quàm porrò sapienter cultum Dei, religionemque non hominum suapte natura mendacissimorum placitis, opinionibus,arbitrio, seu potius libidine, sed sola voluntate diuina, vnica æquitatis, iustitięque regula certissima,metiendam esse affirmabat: id quod vel ipse Cicero naturæ lumine faciendum esse intellexit, cum in religionibus suscipiendis caput esse dicit interpretari, quæ voluntas Deorum immortalium esse videatur. Voluntatem autem Dei, optimam cultus diuini rectricem, & moderatricem, non in cabalis,siue traditionibus quibusdam ἀγράφοις, hoc est,non scriptis,in reuelationibus extraordinarijs atque insomnijs,in mortuorum oraculis,sed in sacrosancta illa veteris,& noui testamenti scriptura canonica quærendam esse,& inuestigandam docebat. Hanc idem sacram scripturam non instar nasi cerei, regulæ Lesbiæ, cothurni (vt hodie nonnulli loquuntur) incertam,perplexam, flexiloquam,fallacem, obscuritatibus atque tenebris circunfusam,mancam & mutilam,sed planam maxima sui parte, & perspicuam,certam,infallibilem, plenam, perfectamque voluntatis diuinæ testem,vitæ ducem, errorum, vitiorumque emendatricem, religionis,virtutis, officij, benedictorum,benefactorumque omnium magistram, denique omnium, quæ & ad huiusce vitę morumque conformationem,& alterius adeptionem nobis cognitu, dictu, factuque sunt necessaria, quasi cornu copiæ quoddam αὐταρκέστατον rectissimè, verissimeque statuebat. Hac itaque duce, & magistra Deum nobis solum δουλείᾳ pariter, atque λατρείᾳ esse colendum,solum inuocandum,per illum solum iurandum, in sola illius misericordia omnem salutis spem ponendam,solo Christo,vnico mediatore,patrono,hostia pro peccatis piaculari, ecclesiæ capite, nixis fretisque nobis ad æternam vitam aspirandum. Deum præterea non sacrificijs, non

templis,aris,simulachris ebore,marmore,auro, argentoque,refulgentibus,non vasis,& vestibus pretiosis, non magna,operosaque ceremoniarum pompa, non thure, odoribus, vnguentisque fragrantibus,non cereis & luminibus, non fidium organorum atque vocis molli fractoque cantu, non aqua lustrali, non gesticulationibus quibusdam histrionicis,precularum quarundam susurrationibus, ieiunijs superstitiosis, peregrinationibus laboriosis,non denique alijs huiusmodi vel Iudæorum vmbris, vel Ethnicorum tenebris esse colendum. Sed potius cum sit Spiritus,in spiritu & veritate,vt Christus inquit, casta puraque mente, vera fide,quæ nimirum charitate sit actuosa, vera spe, pia attentaque verbi diuini audientia atque obedientia, sacramentorum communicatione, seria diuini numinis inuocatione,ieiunijs legitimis,castitate,temperantia,fortitudine,patientia, beneficentia erga pauperes & inopes, humilitate, alijsque huiusmodi virtutibus & operibus, ab ipso Deo mandatis esse venerandum.Iam verò quanta orationis vi & contentione homines languentes, torpentes, oscitantes, profundo quodam,& letali vitiorum, peccatorumque veterno sepultos excitare, à nefaria peccandi consuetudine, atque libidine auocare, ad pœnitentiam,ad bonam frugem,virtutis, pietatisque studium incitare consueuit? Qua quæso parrhesia,hoc est, linguæ vocisque libertate omnium summæ,mediæ,infimæ sortis hominum peccata perstringebat,atque insectabatur? Quibus verborum quasi tonitruis, & fulminibus hominum animos contumaces spe lætitiaq; vana & futili gestientes, superbia,sui confidentia, fastu elatos atque inflatos, iniecto illis iudicij, & furoris diuini metu,deijciebat,ac deprimebat? Quos ille verborum stimulos, quas faces admouebat omnibus, quibus ad fidei,spei, charitatis,omniumque virtutum studium,ad vitæ æternæ,& immortalis cupiditatem inflammarentur? Quanto studio, ac vehementia hominum animos vel odio, inuidia, maleuolentia,inimicitijs mutuis flagrantes,vel pecuniæ, honoris,libidinis, voluptatum amore incensos & inflammatos,restinguebat? Quanta orationis dulcedine,ac lenitate (qua in primis excelluit) hominum mentes peccatorum conscientia,pœnæ, iudicijque diuini formidine plurimis alijs (quibus vita hæc nostra exposita est)

sita est) animi, corporis, atque externis incommodis perculsas, consternatas, fractas, & abiectas proposito illis ante mentis oculos paterno Dei fauore, amore, misericordia, indulgentia, ad peccata condonandum, veniamque dandum propensissima, excitare, erigere, recreare, consolari solebat? Quàm postremò illius oratio verè erat flexamina, quàm ad docendum, erroresque refellendum subtilis & acuta, ad consolandum mollis lenisque, ad obiurgandum acris & vehemens? quàm sine fuco compta & ornata, quàm composita, quàm locuples & redundans non tam verborum, quàm rerum, sententiarumque optimarum copia? quàm iucundis, & vtilibus facetijs nonnunquam aspersa? quàm denique grauis, sapiens, prudens, decora, rebus, personis, locis, temporibus apta, & accommodata? Quanta memoriæ, de qua iam dictum est, vis, quanta oris, vultus, vocis, gestuum moderatio, dignitas, venustas? Huius igitur tam præclaræ & diuinæ vocis, orationisque amissionem, non modò homines, verùm etiam ipsius templi, quod eius theatrum amplissimum extitit, parietes lugere, ac deplorare videntur: cuius tamen imaginem quandam, in præclaris illius, quæ posteritati reliquit, literarum monumentis, cernere adhuc atque intueri licet.

Qualis porrò illius oratio, talis etiam vita, actionesque fuerunt, ita vt vitæ in illo orationisque summa consensio, summaque quasi conspiratio fuerit, eò præclarior, & admirabilior, quò temporibus nostris est rarior. Multos enim, proh dolor, hodie videre licet ecclesiæ ministros, quorum cum vita, vt de philosophis sui temporis Cicero loquitur, mirabiliter pugnat oratio: qui cum se vitæ, officijque doctores, & magistros profiteantur, in omni vitæ officijque genere turpissimè labuntur, ac delinquunt. Qui, vt idem Cicero verè eleganterque dicit, perinde turpiter peccant, ac si quis vel Musicam professus, absurdè canat, vel Grammaticam, barbarè loquatur. Quam multi hodie sunt, quod valde est dolendum, ecclesiarum non tam pastores, quàm impostores, qui pro Cõcione, & suggestu se Catones, vt ita loquar, hoc est, seueros officij monitores, vitiorũ censores & reprehensores acerrimos, grauissimosq; gerunt, interea

Bacchanalia,viuunt,hoc eſt,mollem,delicatam, voluptuariam fœdam turpemq́; vitam (ſi vita eſt dicenda,ac non potius mors funeſta) agunt. At verò noſtri huiuſce optimi,ſanctiſsimiq́; patris, vt orationes,ita vita,actionesq́; piæ,ſanctæ, honeſtæ, laudabiles extiterunt. O vitam omni laude,prædicatione, literis, monumentisque decorandam, quam verè omnium virtutum vitam,exemplar,ſpeculum,theatrum, vitiorum quaſi mortem, optimarum,pulcherrimarumq́; actionum procreatricem appellare poſſumus. Cùm enim ille ſe non ſibi tantùm, ſuisúe commodis & emolumentis,ſed patriæ & eccleſiæ natum, & ab ipſo Deo deſtinatum eſſe ſentiret, in Dei gloriam, eccleſiæ ſalutem, patriæ dignitatem,quæ illi ſemper ante mentis oculos obuerſabatur,toto animi impetu incumbebat:huc denique, ceu verum legitimumq́; ſcopum, omnes curas, cogitationes, conſilia,conatus,actiones ſuas referebat. Non itaq; in otio,delicijs,voluptatibus homine Chriſtiano indigniſsimis,ſed in præclaris honeſtisq́; actionibus totum vitæ ſuæ curriculum confecit,ita vt nullum ferè illi tempus ætatis,neq; diurnum,neq; nocturnum, nullus locus vel publicus,vel priuatus à laboribus,negotijsq́; honeſtis vacuus fuiſſe,nullum deniq; vſq; ad extremũ vitæ ſpatium tranquillum,otioſumq́; ſpiritũ duxiſſe videatur. Hinc magna& innumera in patriam,in eccleſiã,in ſcholam,nec in ciues ſolum verùm etiam externos,& alienigenas commoda, emolumentaq́ue redundarunt. Ac primò quidem, vt hinc potiſsimùm laudatarum illius actionum commemorationem exordiar, incredibile eſt dictu, quantum illius ſtudium in quibúsuis hominibus corpore, animoque ægris,die noctuque inuiſendis, conſolandisque extiterit. Non ſolùm enim ab illis rogatus, & accerſitus,egregiam fidelemque ſuam operam minimè illis grauatè præſtabat, verùm etiam vltrò, ſuaque ſponte eos inuiſendo, corporis animique dolores, quibus affligebantur,non philoſophicis quibuſdam, nimiumque dilutis ratiunculis,ſed optimis ſaluberrimisque ſacrarum literarum ſolatijs, ceu medicamentis,atq; fomentis efficaciſsimis lenire, ac mitigare conabatur. Illos ad peccatorum ſuorum cognitionem, ac deteſtationẽ, ad pœnitentiam, ad patientiam, numinis auxilijq́; diuini implorationem,ad fidem,ad ſpem peccatorũ veniæ, vitæq́; æternæ diuina

misericordia impetrandę incitabat, contra mortis terrores animabat. Est autem hoc officij genus summa laude dignum, homine Christiano dignissimum, adeò vt Christus in Euangelio illud nominatim commendet: Infirmus, inquit, eram, & visitastis me. Tertullianus ætate sua Christianos cùm alijs rebus, tùm verò atq; in primis visitandis ęgrotis eximiam suam pietatem declarasse significat. Eusebius quoque libro 9. Eccles. historiæ testis est, tantum apud antiqui temporis, fidei, probitatisq; Christianos charitatis studium viguisse, vt non solùm fidei domesticos, hoc est, veræ religionis cultores, verùm etiam ab ea alienos etiam pestis tempore nō dubitarint inuisere, morbi contagium nihil veriti. Eodem igitur planè modo hic noster antiquæ fidei, probitatis, integritatisq; parens, idem officium nobis omnibus vel cum summo vitæ suæ periculo atq; discrimine fideliter cumulateq; pręstitit, à quo nullius vel contagiosissimi morbi metus eum deterruit. Itaque, quod silentio hic minimè prętereundum, ac potius perpetuis sermonibus vsurpandum, prædicandumq; est, ante annos 11. peste in vrbe, agroq; nostro grassante, vltrò ac sua sponte fidelem hanc suam, ac plus quàm paternam inuisendi, consolandiq; operam, quibuscunque potuit, nauare minimè dubitauit: nauasset etiam pluribus, nisi eodem morbo epidemio statim ab initio fuisset correptus, quo quidem ita grauiter, periculoseq; laborauit, vt vel ipsi medici omnem ferè de vita illius spem abiecerint. At Deus cùm immensa sua misericordia, tùm piorum precibus ardentissimis adductus, illum ex mortis præsentissimę faucibus ereptum ecclesiæ suæ diutius superstitem conseruauit, vxore tamen, & tribus filiabus charissimis amissis, quas idem morbus sustulit. Idē hoc visitandi, consolandiq; officium captiuis quoque, criminum capitalium reis carceri adhuc inclusis optima fide præstitit, & eosdem quando ad supplicia magistratus iussu à carnifice rapiebantur, humanissimè vsque ad supplicij locum comitatus, & ad extremum vsq; vitę illorum spiritum consolatus est. Quid dicam (nec certè dici satis potest) de illius ferè inaudita & inusitata benigntate ac beneficētia erga viduas, pupillos, paupertate, & inopia oppressos? Quàm ille non solum manum ad cibum, potum, vestes, pecuniam, aliaq; huiusmodi necessaria vitę subsidia illis largiendum,

ſed linguam quoque ad illos conſilio conſolationeque iuuandum, nec non cùm publicè ac pro concione, tùm priuatim, magiſtratuum priuatorumq; fidei, cuſtodiæ, liberalitati, benignitatique commendandum, prolixam valdè promptamq; habuit. Nec verò erga ciues tantùm eiuſdem ciuitatis, religioniſque ſocietate nobiſcum coniunctos, verùm etiam erga aduenas, extraneos, exules, atque adeò religionis noſtræ expertes talem ſe geſsit, nullumque illos humanitatis, hoſpitalitatiſque officium deſyderare paſſus eſt: ita vt verè illius domus mendicorum, pupillorum, viduarum, exulum, peregrinorumque hoſpitium, diuerſorium, perfugium, portusq; dici poſſet. Præterea politicis licet, ciuilibus, atque forenſibus negocijs minimè ſeſe implicari & irretiri paſſus ſit, tamen ipſi quoque nonnunquam Curię, ipſique foro in rebus, cauſiſque arduis & obſcuris ad religionem pertinentibus, (cuiuſmodi multa ſæpè in illis locis tractantur) conſiliorum ſuorum ſapientiſsimorum lucem porrexit. Tanta enim illius fuit apud venerandum noſtrum magiſtratum, ſenatumque auctoritas, vt multa illius fidei, prout reipub. ferebat ratio atque vtilitas, ſecreta ſua & arcana committere, multisq; in rebus ad eccleſiæ præſertim ſtatum ſpectantibus, prudentiſsimis illius, ſapientiſsimisq; conſilijs vti minimè dubitaret, quos ille, vt Ennij verbis vtar, ope ſua ex incertis certos, compotesq; conſilij dimittebat, vt ne res temerè tractarent turbidas. Et certè cùm in primis Dei beneficio, tùm illius prudentia, ſapientia, auctoritate effectum eſt, vt aurea illa, quæ in omni benè conſtituta repub. eſſe debet, inter eccleſiaſticum, & politicum ordinem, ſiue inter eccleſiæ & reipub. rectores ſumma animorum conſenſio, & conſpiratio, mutua opera, conſilijq; in repub. eccleſiaq; adminiſtranda communicatio, in noſtra quoq; repub. vigeret. Huius quaſi fundamenta primùm ab ipſo Deo fuerunt iacta, quando Moyſen legiſlatorem, & Aaronem ſummum pontificem germanos fratres inſtituit, qui mutuis operis, atque conſilijs rempub. eccleſiamq; Iſraeliticam adminiſtrarent. Hæc poſtea, vt hiſtoria ſacra, lux veritatis, teſtatur, & in veteri teſtamento ſub Dauide & Salomone, & in nouo, primitiuaq; eccleſia, ſub Conſtantino, Theodoſio, & alijs veris illis eccleſię nutritijs & alumnis, de quibus Eſaias eſt vaticinatus, cum ſummo

reipublicæ ecclesiæq; salute floruit. Quæ tamen, vt omnia in hoc mundo semper in peius ruunt, teste ecclesiastica historia, ipsaq; experientia hodierna, tandem in perniciosam quandam confusionem abijt, ita vt vterque ordo officij munerisq; sui metas transiliens, in alienam, vt est in prouerbio, messem falcem suam miserit, hoc est, vt & ecclesiarum episcopi ambitione pessima consultrice impulsi, neglecta verbi diuini prædicatione, sacramentorum administratione, ecclesiastica disciplina, ciuilibus, politicis, atque forensibus negotijs sese immiscere: principes atque magistratus, quasi par pari referentes posthabita reipub. cura, & administratione, res sacras, ecclesiasticas prophana quadam audacia atque licentia tractare cœperint. Ex hac, quæ hodie quoque, proh dolor, regnat atque dominatur, politici ecclesiasticique muneris confusione, quid aliud nisi summam reipub. ecclesiæque perniciem consequi est necesse? Quam Deus vt adhuc à nostra repub. auertit, ita in posterum quoque pro misericordia sua velit auertere, ardentissimis illum precibus rogare debemus, simulque vt vtilem illam & salutarem vtriusq; ordinis quasi harmoniam concordiamq; conseruet. Sed vt ad propositum redeam, egregia in primis contentaque patris huiusce nostri venerandi opera, studium, labor scholæ nostræ priuatæ, & publicæ fouendę, regendæ, tuendæ ac conseruandæ extitit, qui nunquàm satis laudari, prædicariq; potest. Sunt scholæ, vti nostis, reipub. ecclesiæque seminaria fœcundissima, ex quibus, si bene sint constitutæ, viri bonis moribus, artibus, atq; virtutibus, quæ in illis docentur, imbuti, ac proinde reipub. ecclesiæq; vtiles prodeunt. Nec sine causa ipse quoq; Plato summus philosophus pueritię in primis, ac iuuentutis benè instituendę & excolendæ summā accuratamq; rationem in repub. habendā esse duxit, quippe cùm inde ciuitatum, rerumq; publicarū vel salus, vel pernicies dependeat. Nam cum pueri, & iuuenes reipublicę ecclesiæque ceu horti cuiusdam stirpes sint, siue plantæ, si bona & commoda illis cultura, hoc est, pia in literis, & moribus institutio adhibeatur, fructuosi atque vtiles: sin negligantur, distorti, corrupti, infœcundi, inutiles, atque adeò noxij & perniciosi ciuitatibus suis euadunt. Quamobrem minimè profectò mirum est pios olim in primitiua ecclesia reges ac principes (vt

vetuſtiora prophetarum nimirum in veteri teſtamento ſcholas omittam) tantum operæ, curæ, ſtudij, diligentiæ, pecuniæ quoque & ſumptus collocaſſe in ſcholis, gymnaſijs, collegijs inſtituendis, fundandis, tuendis, in quibus tenera flexibiliſque ætas cùm pijs religioſiſque moribus, tùm bonis artibus ac diſciplinis imbueretur, vt & reipub. & eccleſiæ ornamento aliquando vſuiq; eſſe poſſet. Hinc nulla fuit cathedralis, vt vocant, eccleſia, cui non ſchola eſſet adiuncta, cuiuſmodi in primis celebrantur Alexandrina, & Antiochena, Panthemio, Clemente, Origene, alijs doctoribus florentiſsimę. Sic Nicomedię quoq; ſcholam, & collegium Chriſtianę iuuentutis fuiſſe legimus, Iuliano, qui eius alumnus, lectorq; poſtea extitit, celebre: Liberalia quoque ſtipendia ad doctores pariter, atq; diſcipulos alēdos, atq; fouendos idonea conſtituerunt. Huiuſmodi ſcholas, & ἀσκητήρια, hoc eſt, gymnaſia ſacrarum, aliarumque bonarum diſciplinarum, quibus doctores omni linguarum doctrinarumque genere exercitatiſsimi præeſſent, fuiſſe vetera illa collegia, & monaſteria Abbas Spanhimenſis in ſuo Chronico, multique alij teſtantur: quæ quidem quantum ab illo antiquo more, conſuetudineque deflexerint, quid opus eſt pluribus dicere? res, experientiaque ipſa clamat. Hunc igitur antiquiſsimum, vtiliſsimumq; tot populorum, eccleſiarum, regum, ac principum morem maiores noſtri ſapientiſsimi ſecuti, vt vniuerſam eccleſiam, ita ſcholam quoque (D. Zuinglij beata memoria optima fideliſſimaque opera vſi) ab innumeris quibus ſcatebat corruptelis repurgatam inſtaurarunt, ita vt ab illo tempore ad hanc vſq; noſtram ætatem, ſingulari Dei beneficio, præſtantiſsimis ſemper viris, quorum nonnullos ſupra nominaui, inſtructa fuerit, qui in pueritia & iuuentute pietatis, religionis, linguarum, diſciplinarum liberalium, & in primis Theologiæ præceptis, inſtitutiſq; formanda, ac inſtituenda nihil operæ, ſtudij, laboris prætermiſerunt. Cuius ſanè boni maximi, quo adhuc Dei gratia fruimur, laus poſt Deum maxima Bullingero noſtro accepta referri debet, qui & in Cappellenſi illo noſtro monaſterio, atque collegio, ex quo veluti ex equo Troiano (vt ita loquar) multa prę clara reipub. eccleſiæq; noſtræ ornamenta prodierunt, linguas, arteſq; ſacras, & prophanas fideliſsimè docuit, & ad hanc eccle-

ſiaſticam

siasticam prouinciam vocatus, scholæ quoq; publicæ, & priuatę pręcipuam quandam, singularemq́; curam suscepit, semperq́; gessit. Ac primò quidem cùm honesta, & liberalia stipendia, quæ vel præceptoribus, vel discipulis tribuuntur, veri sint studiorum nerui, ille, quod summa est perpetuaq́; laude dignum, multis summa ope reluctantibus persuasit, & perfecit apud nos, vt pluribus, quàm antea moris fuerat, bonæ indolis, atq; spei adolescentibus & quidem maiora, amplioraque stipendia darentur ad illorum studia liberalius tuendum, & fouendum, quorum nimirum parentes inopia, numerosaque prole oppressi id præstare non poterant. Quod peregregium institutum, cuius primus quidem suasor, auctorq; Zuinglius, ille verò amplificator fuit, plurimùm patriæ, ecclesiæq; nostræ profuisse ipso vsu experientiaq; satis superq; iam comprobatum est. Deinde cùm oculus domini tritis ac peruagatis quibusdā prouerbijs equum saginare, agrum stercorare dicatur, ille asiduum se vigilantemque scholæ lectionumque episcopum, hoc est, inspectorem prębuit. Nam & priuatam scholam sæpè ex improuiso, inopinatoque inuisere, & publicas lectiones theologicas quotidiè frequentare, eaque quæ dicebantur calamo excipere atque notare est solitus, idque non tam discendi, quàm doctores pariter, atque discipulos hac sua præsentia & exemplo ad maiorem diligentiam exacuendi, incitandique causa. Quanto præterea studio, diligentia, labore anniuersaria illa (quæ olim bis quotannis fiebant) linguarum, & artium examina obijt, in quibus cùm pręceptores, tùm discipuli suæ diligentiæ, industriæ, in literis progressus specimen coguntur edere? Quanta cum patientia & pręceptorum interrogatiunculas, & discipulorum ineptas plerunque absurdasque responsiunculas, fastidij tædijque plenas audiuit? quanta cum attentione, qui benè, quiue malè, & ineptè responderent, obseruauit, in tabella, quam ad manum habebat, notauit, & consignauit? quàm diligenter & styli exercitia inspexit, ex ipsis præceptoribus de singulorum diligentia negligentiaue, indole, ingenio, est percuntatus? Quanta deniq; grauitate finitis examinibus cùm præceptores atq; magistros ad strenuam ac diligentem muneris sui functionem impulit, tùm discipulorum alios quidem bene in hoc literarum studio curren-

tes laudibus atque promiſsis ceu calcaribus magis incitauit, alios verò negligentes atq; deſides obiurgationibus ac minis ad diligentiam in literis adhibendam, obedientia obſeruantiaque ſuos præceptores colendum eſt adhortatus? Adhæc cenſuras illas tres, vt vocamus, anniuerſarias, quæ examina illa, de quibus modò dictum eſt, veluti appendices quædam conſequuntur, quarum duabus Conſulum alter, & ambo quæſtores vrbis intereſſe ſolent, in quibus partim in præceptorum, partim in ſtipendiariorum vitam, mores, ingenium, diligentiam ſeueriter, acriterque inquiritur, ſua non modò præſentia cohoneſtauit, verùm etiam ſententijs, conſilijs, monitis, obiurgationibus, adhortationibus, prout res poſtulabat, fideliſsimè adiuuit. Sed ne hic quidem pulueris illius, atque laboris Scholaſtici finis fuit. Nam illis quoq; crebris admodùm cœtibus Scholaſticis, in quibus de puerorum ineptijs, delictis, pœnis, caſtigationibus, diſciplina, nec non ſtipendijs decernendis, augendis, adimendíſue agi, deliberaríque conſueuit, nunquam ferè defuit, plerunq; plurimorum licet aliorum negotiorum mole oppreſſus non interfuit ſolùm, verùm etiam ſapientiſsimis ſuis fideliſsimisq; conſilijs præfuit, plurimumq; profuit. Quid? quòd odioſa ſatis, & moleſta illa eccleſiaſtico muneri initiandorum examina theologica ſolus ſuis ceruicibus ad extremum vſque vitæ tempus ſumma cum laude ſuſtinuit? Hæ atque aliæ huiuſmodi fuerunt illius Scholaſticæ laborioſiſsimæ ſimul & fructuoſiſsimæ actiones, ex quibus apparet, illum verum & fidelem gymnaſij ſcholæque noſtræ alumnum, atque patronum extitiſſe. Ex his autem ipſis quanto eccleſiæ, cuius ipſa quidem Schola quaſi alma quædam nutricula poteſt appellari, tuendæ, excolendæq; ſtudio flagrarit, ſatis ſuperq; intelligi poteſt. Nam cum, qua fuit ſapientia, eccleſiæ robur, & firmamentum intelligeret eſſe idoneorum verbi diuini prȩconum copiam ac facultatem, hanc autem nullo modo facilius comparari poſſe, quàm puerorum, qui aliquam probitatis, ingenij, indolis ſpem, ſpeciemq, prȩ ſe ferrent, copia, delectu, liberali nutritione accurata in bonis moribus, literisq; ſacris & prophanis educatione, idcirco in his omnibus, vti dictum eſt, efficiendis, procurandisq; tantum laboris, operȩ, ſtudijq; poſuit. Præterea ne educatos quidem iam, & adultos ad

tam

tam augustam munus admitti permisit, nisi prius in illo accurato linguarum, artiū, theologiæ examine, suæ doctrinæ, scientię, facultatis deniq;, quam haberent ad tantum munus obeundum, partim responsionibus, partim declamationibus suis luculentū specimen edidissent. Iam verò cum ad ecclesiæ salutem plurimùm intersit, iustam, idoneam, & legitimam eorum, qui vel ecclesiæ, vel scholæ præsint, creationem, in eorumq; qui decesserunt locum surrogationē fieri, ecclesiasticos illos cœtus, in quibus de ea deliberari consueuit, minimè profectò neglexit, omnemq; vnà cum suis collegis curam diligentiamq; adhibuit, vt ad quasuis huiusmodi tam ecclesiasticas, quàm scholasticas prouincias (nec enim omnes omnibus conueniunt) maximè apti atq; idonei deligerentur. Quantò præterea zelo, studio, labore quosuis in vrbe agroq; nostro in quacunq; vel scholastica, vel ecclesiastica statione constitutos, & coram, & per literas sui officij commonefecit: si quid ab illis, contra quàm illorum officij ratio postularet, omissum commisśúmue esset, si qua de illis sinistra fama atque suspicio, vt ecclesiæ saluti consulerent, ne illam dictis, factísue vllis offenderent, omnem criminis non modò culpā, verùm etiā suspicionē euitarēt, diligētissimè fidelissimeq; monuit. Quàm promptum quoq; eiusdem ad illos in rebus obscuris, arduis, proplexis, cùm ab illis consuleretur, sapientissimis suis consilijs iuuandi studium fuit? Sed in primis synodi illæ sacræ, & ecclesiasticæ, quæ ex primitiuæ ecclesiæ optimo sanè saluberrimoq; instituto bis quotannis omnium qui in vrbe, agro, ditioneq; nostra sunt, ecclesiæ ministrorum conuentu atq; frequentia, Consulis alterius, senatorumq; nonnullorum præsentia celebrari, in quibus singulorū vita, mores, doctrina, actiones censeri, examinariq; consueuerunt, illius venerandi nostri patris nō solùm integritatis, ac innocentiæ, verùm egregiæ & ardentis erga ecclesiam pietatis, curæ, solicitudinis plus quàm paternæ, testes fuerunt locupletissimæ. Quàm enim primò omniū à pia & ardente diuini numinis imploratione exorsus, breui quidem, sed docta, accurata, graui, neruosa oratiuncula omnes ad legitimam, diligentem, strenuam, fortem constantemq; muneris sui functionem, ad bene, literisq; sacris atq; canonicis conuenienter non docendum solùm, verùm etiam viuendū, deniq; ad mutuā (quæ mox agitanda erat) planeq; fraternam, seposito omni

odio, inuidia, maleuolentia, alijsque prauis affectibus, castigationem, correctionem, admonitionem est adhortatus. Deinde verò ille si quis alius ἀνεπίληπτος quidem, haud tamen ἀνυπεύθυνος primus omnium aliorum censuram libentissimè subiens, maiorem semper laudem referebat, cum in illius vita, moribus, doctrina, nullus neuus, nulla macula, nihil vituperatione dignum, plenissima laudis omnia reperirentur, & vno omnium ore atq; voce prædicarentur. Quanta præterea illius in aliorum delictis, atq; peccatis præsertim grauioribus reprehendendis atque castigandis seueritas contumeliæ omnis expers? quanta in dandis consilijs, ferendaque sententia de rebus maximi momenti atque ponderis sapientia, prudentia, grauitas? Hæ igitur atque aliæ huiusmodi fuerunt publicæ illius actiones summa cum virtute, laudeque coniunctæ, inter quas duo præterea charitate, societateque Christiana (quæ & lugere cum lugentibus, & gaudere cum gaudentibus præcepit) dignissima sanè officia minimè videntur silentio esse prætereunda. Vnum est, quòd pleraq; ciuium funera, & exequias sua quoque præsentia, luctu, commiseratione cohonestauit, lugentesque consolatus est, quod sanè officium Christianos maximè decet. Alterum est, quòd honesta, & tempestiua conuiuia vel publica, vt nuptialia, anniuersaria, honoraria, in peregrinorum, nec non ciuium, qui nouos honores atque munera politica adepti sunt, honorem celebrari solita, vel priuata tam propinquorum, quàm alienorum adire minimè dubitauit: idque non voluptatis, comessandi, compotandique cupiditate ductus, sed honestatis, humanitatisq; caussa. Ea autem facetissimorum, vtilissimorumque suorum sermonum quasi sale atque condimentis aspergere, suauissimaq; reddere est solitus. Denique, vt hoc quoque addam, quanta illius fuit in incessu dignitas, et grauitas? quanta in compellandis, salutandisque obuijs quibusque affabilitas, comitas, suauitas, humanitas? Ac talis quidem ille fuit in publico, in luce, & oculis ciuium, qualem omnes cognouimus. Sed non minus præclarè se, laudabiliterque intus quoque, domique suæ gessit. Multos quidem sæpenumerò magnæ quoque auctoritatis viros, videre licet in publicis actionibus, publicoque hominum conspectu, congressu, colloquijs magnam, & splendidam pietatis, grauita-
tis,

tis,continentiæ,temperantiæ,omnis denique honestatis, & virtutis speciem præ se ferre,ita vt quidam quasi heroes,siue angeli esse videantur:at verò domi,intraque priuatos parietes,quibus vitia,flagitiaque sua occultare conantur, nihil illis turpius,fœdius,ignauius,libidinosius, luxuriosius dici potest. De nostro verò hoc præstantissimo heroe dubitari certè meritò potest publicè ne,an domi præstantior fuerit,ac maiores, laudabilioresq; omnium virtutum actiones ediderit.Huius equidem priuatæ domesticæq; illius vitæ auritus, oculatusque sum testis, qui D.Lodouici Lauateri generi illius, Mecœnatis mei obseruandi,quem honoris causa, vt ipsius summa dignitas postulat, hîc appello, conuictu contubernioque per aliquot annos vsus, in illius ędes per hortum geminum intermedium,perexiguum sanè interuallum, sæpius vel vno die commeare, ac procul dubiò,qui puerorum mos est,sacrata illius studia ineptijs, clamoribusque meis perturbare sum solitus. Quàm multa ibi præclara & eximia omnium virtutum exempla me vidisse memini, quantam illius erga me puerum humanitatem nunc quoque mihi ad recordandum gratissimam & iucundissimam sum expertus? Sed quid dico de me? Vniuersa ciuitas,cùm vti nostis, illius domus,quæ patebat omnibus, magna quotidie honestissimorum ciuium frequentia celebrari sit solita, priuatæ illius ac domesticæ vitæ testis est locupletissima. Nullum igitur ignauiæ,libidinis,petulantiæ,voluptatis,luxuriæ,obscœni alicuius, atque scurrilis facti, dictiúe vel tenuissimum in eo vestigium cuiusquàm vel suspiciosissimum curiosissimis oculis videri potuisset. A summo mane atque diluculo (quo surgere consueuit) ad multam vsque noctem,quantum illi sacræ conciones,quantùm infinitæ illæ penè,de quibus modò dictum est, ecclesiasticæ,scholasticæque actiones, quantum priuata rei familiaris negotia,quantùm valetudinis curatio, victus cultusque corporis necessarius,quantum denique ciues atque peregrini illum crebrius conuenientes tribuebant otij,quantum,inquàm,illi à plurimis his, & alijs impedimentis supererat temporis succisiui, id in Musæo suo, in lauta illa sua copiosaque bibliotheca delitescens, omne in precationibus, meditationibus, lectionibus, scriptionibus,sanctissimis vtilissimisque consumebat. Nullum

enim ille tempus, nullam horam otiosam, infructuosamq; efflue re patiebatur, quin semper pij aliquid, honesti, vtilis cogitaret, ageret, moliretur. Ac scriptionum quidem illius admirabilis, incredibilisq; magnitudo, multitudo, vtilitas peculiarem quandam prolixamq; orationē postularet, imò nulla ferè quantùmuis longa oratione satis pro dignitate explicari videtur posse. Hæ sunt duplices, literæ nimirum, siue epistolę & libri, qui partim typis excusi in lucem emanarunt, partim adhuc abstrusi reconditique iacent. Quoad primum genus scriptionum, incre dibile est dictu quàm crebras ferè quotidie literas passim ab ecclesijs, à personis claris, & illustribus politici, ecclesiasticique ordinis acceperit, quarum plærisque de rebus maximi momen ti & ponderis, ad ecclesiæ disciplinam, ad religionem cultumq; diuinum spectantibus consulebatur. Tanto enim ille apud exteros quoque in pretio, gratia, auctoritate fuit, vt ab illo ceu oraculo quodam rerum suarum grauissimarum consilia expetere minimè dubitarent. Harum si quis literarum cumulum aceruumq; domi suæ reconditum intueatur, fieri certò non potest, quin in admirationem, vel potius stuporem raptus, in huiusmodi quandam vocis exclamationem erumpat: Hui quàm mul tæ hæ sunt literæ. Quòd si itaque in omni sua vita nihil egisset aliud, nisi quòd literis illis innumerabilibus, in quibus vel legendis plurimùm temporis consumendum fuerit, responsa & quidem sua manu dedisset, quis illum ignauiæ & desidiæ nomine accusare iure posset? qui non potius summam illius industriam, laborem, ingenij celeritatem admirari cogeretur? Respondit autem ille sine vlla mora, & cessatione omnibus, & quidem prudentissimè, sapientissimeque respondit. Dici enim satis non potest quàm ille cùm in omni vitæ genere officiosus, tûm in scribendo vt celer, ita impiger, industriusque fuerit, ita vt hoc literarum officium neminem omnino desyderare passus sit. Cuius vel hoc quoque certissimo argumento esse potest, quòd meas quoque (qua ille fuit summa humanitate) meique similium illepidas, ineptas, insulsas literulas ex peregrinis locis ad illum missas, humanissimis doctissimisque suis responsionibus dignatus est. Omnino igitur tanto diuinæ gloriæ illustrandæ, omnium saluti, commodisq; consulendi, inseruiendique

amore flagrauit, vt non solùm nos ciues atq; præsentes coram publicis priuatisq; sermonibus, verùm etiam absentes, & peregrinos per literas (Ieremiæ nimirum, Nahumi, aliorumq; prophetarum, & Apostolorum exemplum secutus) consilijs, consolationibus, prudentissimis saluberrimisq; monitis, pręceptis, documentis (quibus plenæ, refertæq; erant illius literæ) ædificare, iuuare, ad æternã salutem promouere studiose sit conatus. Quid dicam de altero illo scriptionum genere, hoc est, de libris & præclaris literarum monumentis, quæ confecit, ac post se reliquit? Horum in tot tantisq; præsertim reliquis illius occupationibus, quibus districtus ferè semper fuit, & multitudinẽ, & magnitudinẽ, & acumen, vtilitatemq; summã nemo satis admirari nedum verbis explicare potest. Quorum alia puræ sanctæq; doctrinæ, ac religionis simplicẽ planamq; explicationẽ, alia errorũ atq; hæreseon, quæ extremis hisce nostris perditisq; temporib. passim grassantur, firmam, solidam, atq; modestã refutationem, alia deniq; historias tã sacras, quã prophanas, ceu vitæ morumq; documẽta iucundissima, vtilissimaq; complectuntur. Atq; hæc de duplici eius scriptionũ genere. Domus pręterea illius omnis generis hominũ frequentia quotidie ferè celebrabatur. Horum plæriq; erant pauperes, inopes, pupilli, viduæ, exules, quibúsuis alijs miserijs, & ęrumnis oppressi, qui illius opem, auxiliũ, consiliumq; implorabant: quibus ille molestissimis, licet & importunis grauissimorũ suorum studiorũ, negotiorumq; interpellatoribus minimè deerat, minimeq; illos quacunq; ratione poterat, vel consilio, vel consolatione, vel opera, vel pecunijs iuuare grauabatur. Quàm multi peregrini & extranei, clari & illustres viri illius, de quo multa laude dignissima intellexerant, videndi, audiendi, salutandi, colloquendiq; incredibili quodam studio, cupiditateq; ducti, ad illum accesserũt? Hos ille humanissimè admissos, & acceptos (facilem enim ad se omnibus nõ sine magno sæpe vitę suę periculo aditum dabat) humanissimorũ, sapientissimorumq; suorũ sermonũ admiratione obstupefactos, ingenti gaudio lętitiaq; perfusos à se rursus dimittebat, omniaq; illis hospitalitatis officia non verbis solùm deferebat, verùm etiam reipsa pręstabat. Sed quàm sapienter pręterea ille, quàm graui constantiq; disciplina vniuersam suã familiam rexit ac gubernauit?

S. Paulus negat illum domui Dei, hoc eſt, eccleſiæ bene & vtiliter præeſſe poſſe, qui priuatæ domui atq; familiæ præeſſe non poſsit. Quomodo enim, vt illo quoq; Ciceronis ſimili vtar, qui duorum ſcalmorum nauiculam gubernare nequeat, in Euxino ponto Argonautarũ nauem gubernarit? Noſter verò hic heros, & magnæ illius Dei domus, atq; nauis Chriſti, hoc eſt, eccleſiæ, & priuatæ ſuæ domus atque nauiculæ ſcientiſsimum ſe ac prudentiſsimum patremfamiliâs, rectorem, & gubernatorem præbuit. Cum fidiſsima ſua coniuge ſummam concordiam coluit, liberos ex illa ſuſceptos ſummo ſtudio in pietate, & literis erudiri, educarique curauit, denique & vxorem, & liberos, & ancillas, non auſtera quadam & acerba moroſitate, ſed piæ ſanctæq; vitæ exemplo, auctoritate humanitateque in mutua pace atque concordia, in diſciplina, officio, obſequioque continuit. Atque huiuſmodi quidem priuata illius vita factaque fuerunt, ita vt illius domus verè ciuitatis oraculum, pulcherrimarum concionum, actionumque officina, pietatis, ſanctitatisque templum, Chriſti in ſuis membris inopis, & exulis receptaculum, omnium virtutum ſchola & gymnaſium appellari potuerit. Huiuſmodi autem ille & priuatam & publicam vitam paucis à me adumbratam, ſanctiſsimam, laborioſiſsimam, cunctis ferè mortalibus fructuoſiſsimam ad extremam vſque ſenectutem, imò ad extremum ferè vitæ ſpiritum conſtantiſsimè perduxit. Fuit enim illius ſenectus non modò non languida, iners, ignaua, ſomniculoſa, (qualis plærunque eſſe ſolet) ſed potius operoſa, arcus cuiuſdam inſtar ſemper intenta, ſemperque aliquid agens, moliens quod eſſet præclarum, ad Dei gloriam, eccleſiæque ſalutem conduceret. Ac licet corporis illius robur vireſque (quibus excelluit) partim infinitis laboribus, curis, moleſtijs, partim morborum vi, partim ſenectute, quæ ipſa morbus eſſe dicitur, fractæ nonnihil defecerint, tamen illius prudentia, ſapientia, ingenij, conſilijque vis non tam defecit, quàm creuit, auctaque fuit: ita vt quantùm de corporis viribus diminutum fuit, atque detractum, tantùm ad animi ingenijque vires acceſſiſſe videatur. Memoriæ quoque illius vim diuinã, cuius iam antea quoque mentionem feci, parum admodùm in ſenectute immutatam fuiſſe quotidie experti ſumus. Ethnici magnis laudibus

efferunt

efferunt & celebrant suum Platonem, Isocratem, Homerum, Hesiodum, Pythagoram, Democritũ, Xenocratem, Zenonem, alios huiusmodi philosophos, quorum senectus illos non coegit in studijs suis obmutescere, quique extremo confecti senio multa egregia scripta ceu præclaros ingenij sui partus ediderunt. Sed multò iustiore digniore que laude celebrandus est hic noster verus philosophus, qui in vel extrema sua senectute multa eximia scripta composuit, & confecit, multa in ecclesia præclarè gessit, suumque illud sibi à Deo assignatum arduum, laboriosissimumque munus sine vlla à laboribus vacatione, & quiete illi ætati diuino, humanoque iure concessa constantissimè, gloriosissimeque obijt semper & administrauit. Sequitur nunc aliud meæ distributionis caput, corporis nimirum, fortunæq; bona, quorum non tam κτῆσις, quàm χρῆσις, hoc est, non tam possessio, quàm verus rectusq; vsus laudari debet. Huiusmodi quoque illi Deus multa præclara ornamenta, tanquam virtutis suæ singularis exercendæ, exercendæque instrumenta largitus est: Fuit enim primò corporis (quod verè Sancti spiritus vas, siue templum dici potuit) valetudine, robore, viribus, agilitate egregia præditus: quibus ille corporis dotibus ad munus suum tantò melius commodiusque obeundum vsus fuit. Hæ præterea corporis vires nõ tam pharmacis & medicamentis quibusdam, quàm cibi, potus, somnique temperantia, castitate, deambulationibus moderatis tueri, & conseruare studuit. Quas sanè ob causas corpus illius non omnino (cuiusmodi libidinosa & intemperans vita senectuti plærunq; tradit) effœtum, infirmum, ac debile fuit, sed satis adhuc vegetum, donec tandem ipsius morbi, quo obijt, vi grauitateque planè confectum, & ad extremam maciem, ad ossa, & pellem, vt ita loquar, redactum fuit, ita vt nequaquam illud (vt ipsemet ex eo audiui) lautas & opimas vermium epulas fore diceret. Sed quàm præterea heroica fuit corporis illius forma, atque statura? quanta oris, vultusque dignitas, grauitas, suauitas, quo vel solo facillimè veluti tacito quodam illius humanitatis, omniumque virtutum indice, omnes in sui amorem, obseruantiamque pelliciebat, & trahebat. O vultum suauem, iucundum, amabilem, cuius imago (id quod vnicuique vestrum nunc accidere puto) menti meæ impressa,

& obuersans nescio quas voluptates doloribus mixtas in animo meo excitat. Iam verò externis quoq; illis, siue fortunæ, vti vulgò appellantur, bonis egregiè à Deo locupletatus fuit, in quibus omnibus singulares animi illius virtutes clarius adhuc emicuerunt. Patriȩ illi duæ fuerũt, vna loci, siue naturȩ, in qua primùm mortalis huiusce lucis vsurá hausit, Bremgarda nomine, nobile admodùm Heluetiæ oppidum, altera iuris, & ciuitatis, in quam exceptus, ascriptusq; fuit Tigurum, nimirũ communis nostra patria, iam ab antiquis seculis laudatissima, atq; celeberrima. In vtramq; præsertim verò posteriorem hanc nostram communẽ, egregia illius pietas, studiũ, amor, merita atq; beneficia (in quibus explicandis iam versamur) extiterunt, vtramq; verȩ religionis lumine illustrare sedulò studuit, vtriq; laudem, claritatemq; immortalẽ peperit. Familia præterea antiqua, & honesta parentibus honestissimis oriundus fuit, honestissimè liberalissimeq; illorum opera & sumptibus in bonarũ artium studio educatus. Maiores illius aliquando ex ipsomet intellexi, honesto sanȩ liberaliq; venationis studio valde fuisse deditos. Quis igitur non singulari quodam Dei consilio factum esse existimet, vt ex illis ferarum venatoribus procrearetur hic hominum venator, qui nimirum homines suapte natura feros, immanes, per mundi huius squallidum horridumq; desertum, perq; superstitionũ, idololatriȩ, scelerum atq; flagitiorũ deuia errantes atq; vagantes, verbi diuini plaga, reti, venabulo, Christo captiuos adduceret, in illius ouile cogeret, ex lupis, vrsis, leonibus immani feritate laborantibus Christi oues mites, lenes, placidasq; redderet? Opũ, diuitiarumq; vt non cupidus fuit, ita non magnam quoq; illarum vim post se reliquit, quippe ista cũ veris illis animi, sanctiq; spiritus opibus inhians, caduca, hoc est, incerta, fragilia, vitæ humanæ membra, seu potius ludibria facilè cõtemneret. Quas tamẽ Dei gratia mediocres admodùm possedit, has non tam augere & amplificare, quàm parsimonia & frugalitate conseruare, ad frugalẽ familiæ suæ sustentationẽ, liberalem filiorũ educationem conferre est solitus, ita tamen, vt maximá ferè illarum partem pauperibus, exulibus, peregrinis, viduis atq; pupillis consecrasse videatur. Vxor illi antiquæ fidei, castitatis, pudicitiæ fuit, qua, vt supra dixi, ante annos vndecim cum summo illius animi mœrore

rore mortua, viduam semper vsq; ad obitum vitã egit, rei familiaris administra atq; rectrice fidelissima vsus sua filia Dorothea nomine, cuius erga patrem senio, morboq; affectum singularis constansq; pietas atq; officia nunquam satis laudari possunt. Filios quoq; verbi diuini præcones, egregijs animi ingenijq; dotibus instructos, filias castissimas, propinquos, consanguineos, affines honestissimos, generos dignitate, doctrina, auctoritateq; florentissimos post se reliquit. Quid dicam (de qua certè dici satis non potest) de illius summa, in qua fuit apud omnes cuiuscunq; sexus, ætatis, conditionis, ordinis homines, gratia atq, auctoritate? quàm ille omnibus summis æque & infimis charus, gratus, iucundus fuit? Quod hoc etiam mirabilius videri debet, quòd ab assentandi, adulandiq; studio alienus minimè omniũ (vt hodie à multis fieri solet) aucupandæ popularis auræ & gratiæ causa ad hominum voluntatem loqui concionariq; est solitus, sed potius acerrimum se vitiorũ censorem, reprehensoremq; præbuit, quæ res, vt quotidiana docet experientia, hominum potius odium & maleuolentiá, quàm gratiam, beneuolentiamq; parit. Dictum est adhuc, seu potius breuiter pro temporis, ingenijq; mei angustijs à me percursum de tanti viri præclaris animi ingenijq; virtutibus præstantissimis, quibus illas expressit, orationibus, & actionibus, de senectute gloriosa, de honesto legitimoq; corporis, & externorum quæ illi diuina benignitate suppeditarunt, bonorum vsu. Restat nunc vltimus, & quidem omnium ferè pulcherrimus ornatissimusq; illius vitæ actus, morbus nimirum, qui illi vitæ huiusce mortalis finem, vitæ verò immortalis initium attulit, & quæ illum consecuta est, mors omni anteactæ vitæ concors planè & consentanea, quæ tamen discessus, siue migratio ex odiosa hac laboriosaque peregrinatione in cœlestem illam patriam potius est appellanda. Ac morbus quidem illius, cùm duro & austero, quo iuuenis vsus est, victu, tùm infinitis diurnis, nocturnisq; laboribus pro patria, ecclesiaq; exantlatis contractus, grauis, acerbus, diuturnus, nihil profectò aliud, nisi illius patientię, tolerantię, fortitudinis, constantiæ, caterarumq;, quibus abundauit, præstantissimarum virtutũ quasi epitome quædam, & compendiũ, Synopsis,

martyrium, hoc eſt, teſtimonium locupletiſsimum, ſpecimenque ſpecioſiſsimum extitit. O morbum egregium virtutis magiſtrum, cuiuis vel optimę valetudini longè anteponendum. Dolores ſæuiſsimi, accerbiſsimique, qui illum ſine omni vel minima intermiſsione, relaxationeque vexarunt, nullamq; ferè illi vel diurnæ, vel nocturnæ quietis partem impertierunt, minimè, id quod omnes certè non ſatis mirari potuimus, vel mentis illius ſtatum, ac ſanitatem, vel cordis robur ac fortitudinem infringere atque conuellere potuerunt. Quin potius ſancti nimirum ſpiritus robore & virtute egregiè ſeptus, ac munitus, non indolentia quadam, & ſtuporis immanitate, ſed id quod ex aſsiduis illius vocibus, ſermonibus, precibus facilè animaduerti potuit, mente ſana, & integra, corde forti, infracto patienti, conſtantiq; omnes illos dolores intollerabiles tulit, vicit, ſuperauit. Aliquando etiam illos licet tam graues, vt nihil illis quicquam addi poſſe amplius videretur, tamen (o heroicam planè fortitudinem) augeri quoque & intendi, ſiquidem ad Dei gloriam, animæq; ſuæ ſalutem id faceret, à Deo eſt precatus. Hinc facilè colligere poſſumus quanta ille animi magnitudine exquiſitas illas crudeles, & immanes carnificinas, tormenta, ſupplicia, quibus mundi huius tyranni Chriſtianos, veræq; religionis cultores mactare ſolent, Chriſti nomine ſubiturus ac ſuperaturus fuiſſet, ſiquidem ita diuina tuliſſet voluntas, vt in illorum carnificum manus immaniſsimas incideret. Noluit itaq; Deus illum celeri, ſubitaque morte hinc ad ſe rapere, ſed potius morbo huiuſmodi graui, & diuturno, ceu quodam igne aureas illius, & diuinas virtutes, iā antea licet ſatis in omni vitæ curriculo ſpectatas, & cognitas, magis tamen adhuc explorare & examinare, nobiſque omnibus non modò admirandas, ſuſpiciendaſque, verumetiam imitandas ante mentis oculos proponere. Cogitandū quoq; hic nobis eſt, diligenterq; animis noſtris reputandū, ſi hunc tantæ innocentiæ, integritatis, ſanctitatis virum tam grauia, & acerba Deus pati voluit, quid nobis à tantarum virtutum præſtantia longiſsimè remotis ſit expectandum, ſiquidem Deus pro meritis noſtris potius, quàm pro immenſa ſua miſericordia & indulgentia nobiſcum agere velit. Quæ ſanè cogitatio inſtar ſtimuli cuiuſdam nos ad illius miſericordiam tantò ardentius

imploran-

implorandam, peccatorumq; nostrorum veniam ab eo petendam incitare debet. Verùm vt ad hunc nostrum patrem redeamus, quã multas ille ore suo sancto pręclaras, quasiq; Cycneas voces, orationes, præcepta vtilia, ac salutaria protulit? quàm ardenter omnes qui cum illo erant ad pietatis religionisque studium est adhortatus, muneris officijq; sui cõmonefecit? Quàm multos & ciues, & peregrinos (id quod ipsemet sæpè sum expertus) qui ad illum, eius nimirum inuisendi, salutandi, suæ erga illum beneuolentiæ, obseruantiæ, commiserationis testificandæ gratia, quotidiè ac singulis ferè horis accedebant, pulcherrimis saluberrimisque vitæ, morum, pietatisque præceptis onustos à se rursus dimisit? quàm multi, qui illius consolandi gratia venerant, maiorem se ab illo, quàm ipsi attulerint, hausisse consolationem confessi sunt? Quàm præterea sæpè non solùm coram ecclesiæ scholæq; rectoribus, quos etiã paulò ante suam mortem simul oẽs in ędes suas aduocauit, illis valedixit (ô acerbũ, luctuosumque vale) ecclesiæ scholęque salutem commendauit, verùm etiam coram omnibus qui illum quotidiè conuenerant liberè ingenueq; testatus est, se in illa religione, quam creberrimè publicis concionibus, scriptisque professus sit, atque docuerit, diuina fretum gratia ad extremum vsque vitę suę spiritum perseueraturum: quippe cùm illam ex animo, attestante sibi Deo, suaque conscientia, veram, genuinam, diuinæ voluntati sacrosanctis veteris & noui testamenti oraculis patefactę consentientem, congruentemq; agnoscat. Idem hoc quoq; literis illis suis quasi testamentarijs ad senatum, populumque Tigurinum scriptis, quas obsignatas post se reliquit, quæque statim post illius obitum coram maiore, vt vocant, & minore senatu lectæ ac recitata fuerunt, clarissimè est testatus, omnesq; ad perseuerantiam in sacrosancta illa religione est adhortatus. Fuerunt hæ literæ multis alijs sapientissimis præceptis, monitisq; refertę, quibus Consules, magistratus, senatores, iudices, deniq; omnes qui aliquam publici muneris, reique publicę partem sustinerent, ad iuris, æquitatis, legumq; conseruationem, ad pacis, concordiæ, pietatis, religionisq; studium, ad pauperum, pupillorum, viduarum, exulum Christi nomine curam, protectionem, patrocinium incitauit. Quid porrò dicam de assiduis illius ardentissi-

misq; precibus,quas licet totius corporis doloribus intolerabilibus oppressus ad Deum sine vlla ferè cessatione effudit, illius opem,misericordiamque implorauit, deniq; illius manibus, fidei, clientelæ, misericordiæ cum patriæ, & ecclesiæ,tum suam quoque salutem commendauit, quas in cœlum vsque penetrasse, & ad Dei aures clementissimas,piorum semper precibus patentes peruenisse nemini dubium esse potest. Cumque perpetuus ferè illius vitæ cursus mortis quædā meditatio, siue mors, hoc est,animi ad æterna illa gaudia anhelantis à corporis,mundique obsequio & indulgentia abstractio quædam fuerit (quam carnis mortificationem sacræ literæ appellant) ipsam quoque hanc corpoream mortem sensim quasi paulatimque appropinquantem infracto impauidoque animo non tam reformidasse, quàm optasse videtur, illa aliquoties S. Pauli verba vsurpans, cupere se dissolui,& esse cum Christo. Addebat præterea spem sibi certam, firmam, exploratamq; esse, fore vt Deus misellam hanc suam animulam,simulatque ex hoc corpore migrarit, pro immensa ac infinita sua misericordia, qua quidem sola nitatur, & confidat, semperque nixus fuerit,in cœlestes illas suas sedes, in sinum gremiumque suum recipiat,corpus verò hoc suum miserum, & caducum,terræ ceu semen mandatum,ad puluerem, redactum,tandem extremo illo iudicij die ex morte ad vitam reuocet,& instauratum, cœlestique splendore illustratum rursus cum anima, indissolubili inuiolabilique fœdere coniungat, vt sic summis & æternis illic voluptatibus & animo & corpore potiatur: Hac ille fide,spe, misericordiæ diuinæ fiducia egregiè armatus, implorata antea sæpius Dei misericordia,illiusq; manibus humanissimis sua commendata anima,tandem ipso die sabbathi hora sexta pomeridiana in domino conquieuit, & vero illo æternoq; sabbatho,hoc est,requie suauissima,placidissimaque potitus est,qua nūc fruitur. Quàm verò mors illius lenis,& placida,& iam mortui vultus minimè horrendus,sed iucundus visu aspectuq; fuit,ita vt nō mortuus esse,sed viuere adhuc,atq; spirare videretur? Atq; hoc quidem ille pulcherrimo exitu gloriosissimum vitæ suę cursum terminauit. O illum igitur terque quaterque beatum,qui,vt de se Paulus loquitur,postquàm certamen

tamen in hac vita egregium acriter,animoseq; certauit, ac muneris,officijque sui cursum fœlicissimè confecit, nunc illa verè triumphali,æterna,& immortali corona, à summo illo Agonotheta donatus fruitur. Non est,non est inquam,patres fratresq; obseruandi,quòd illius vicem,sortemque doleamus, quasi mali quid illi aduersique acciderit,cùm plenæ illius omnibusque numeris perfectæ, cumulatęque beatitudinis nulla par vel oratio, vel etiam cogitatio reperiri queat,siue quę reliquerit, quibusq; liberatus sit, cogitemus, siue quibus potitus sit, iamq; fruatur, animis nostris consyderemus. Reliquit enim ille vitam hanc nostram mortis,quàm vitæ appellatione digniorem,quæ quantulacunque est (perexiguis enim terminis est circumscripta) nihil est profectò aliud,quàm perennis quędam, & perpetua miseria,cursus ad mortem rapidissimus,mortis imago tristissima. Nam simulatque ex fœdis illis tetrisq; vteri materni tenebris, atque latebris, cum ingentibus matrum nostrarum doloribus, vitæq; periculo,in lucem hanc luctuosissimá, ceu alteras quasdam tenebras excessimus, euasimus, erupimus, ecce mors acerba sanè,comes atque pedissequa, nos à fletu & lachrymis,inauspicatis auspicijs,futurorumque malorum augurijs,vitæ huiusce telam exorsos statim à tergo consectatur, gladijque instar ancipitis ceruicibus nostris assiduè imminentis perpetuo metu exanimat, deque ipsa vita singulis penè momentis aliquid decerpens,eam tandem cum magnis doloribus suspirijs, gemitibus opinione nostra citius abrũpit. Iá verò si cui vox sit ferrea, oraq; centũ(vt ille loquitur)minimè is profectò omnes vitę humanæ miserias,ærumnas,dolores atq; labores cùm animi, tum corporis multitudine, grauitateque penè infinitos enumerare valeat. Dolor enim minimo plerunque temporis interuallo dolorem sequitur, labor ex labore nectitur, vnius miseriæ finis alterius & quidem plerunque grauioris est principium. Ipsa quoque si qua sunt bona,commoda,voluptates,fluxæ, caducæ, fragiles,& malorum pręponderantiũ mole obruuntur,& diro plerunq; exitiabiliq; exitu concluduntur. Non mirum igitur Thraces olim (vt literis memoriæque proditum legimus) infantes quidem recens natos, atque vagientes mœrore & luctu,

mortuos verò gaudijs, conuiuijs, atque tripudijs prosecutos fuisse. Ac talis quidem cùm sit vniuersa mortalium vita, innumeris implicata miserijs, tùm verò atque in primis illorum vita, quibus Deus suæ nauis, hoc est, ecclesię gubernacula in hoc fluctuosissimo mundi pelago commisit, plurimarum curarum, solicitudinum, laborum, dolorum, periculorum, tormentorum, suppliciorumque prædæ est exposita. Huiusmodi autem optimi nostri parentis vitam fuisse, iam antea explicatū est. Quam obrem quis non præclarè, beateque cum illo actum esse confiteatur, qui tot tantisq; animi, corporisque doloribus, tot ærumnis, miserijs publicis priuatisq; omnino solutus est, atque liberatus, ita vt hæc illius mors ærumnosę laboriosæque, qua perfunctus est, vitæ tranquillus quasi portus, perfugiumque optimo iure appellari debeat. Nec verò ille præsentibus tantùm iamque vrgentihus, atque prementibus verùm etiam plurimis alijs, quæ cum vniuerso orbi Christiano, tùm nobis videntur impendere, futuris malis planè est exemptus. Illo ceu lumine quodam clarissimo, extincto, siue potius ex hisce terris in cœlos translato, nox statim, quemadmodū nostis omnes, consecuta fuit, & quidem nox intempesta, tonitruis, fulguribus, turbinibus, imbribus tristissima. Quàm vereor igitur ne (quod Deus omen pro sua misericordia auertat) aliam hæc nobis noctem nocentissimam, caliginem funestissimam, tonitrua, fulgura, turbines, tempestates, procellas, furoris diuini pluuias tetras, dirasque præsagiant, atque portendant, quas quidem ille nobis sæpè tanquam ex sublimi quadam specula prospiciens prędixit atque prenunciauit? Quid dicam, quod mundus hic (quemadmodum sacris oraculis præmoniti sumus) extremo iam quasi senio confectus, plurimorumq; vitiorum morbis laborans, quò propius ad obitum occasumq; suum appropinquat, tantò maior semper grauiorque malorum moles videtur ingruere? Certè vt nunc præsertim sese dant funesta principia, noui fluctus surgere, nouæ procellæ, ac tempestates turbulentissimæ vniuerso Christiano orbi parari videntur, atque imminere. Quis igitur quæso non vel hoc quoque nomine beatissimum illum nostrum parentem prædicet, quem Deus, ne tot tantorumque futurorum malorum particeps, & socius esse cogeretur, prius

ex hac

ex hac mortali vita ad ſe in illam immortalem tranſtulit? Sic enim ferè ſemper Dei mos & conſuetudo tulit, vt quoties extrema quædam mala rebuſpub. eccleſijs, vniuerſo terrarum orbi irrogare atque infligere cogitabat, homines prius eximijs virtutibus ornatos, pios ſui numinis cultores, rerumpub. eccleſiarumque adminiſtratores fideliſsimos ad ſe euocaret, ne malorum illorum acerbitatem ipſi quoque ſubire cogerentur. Quam ſanè ob cauſam huiuſmodi hominum mortes maximorum malorum prænuntiæ, atque præſagia iure exiſtimari ſolent. Id nos docet Ioſiæ optimi præſtantiſsimique regis exemplum, quem Deus ante miſeram illam miſerandamq; populi Dei ſeruitutē, atque calamitatem, ne illius particeps eſſe cogeretur, prius ad ſe traduxit. Sic, vt recenti exemplo vtar, illam nunquam ſatis laudatam, laudandamque heroinam reginam Nauarrenam, veræ religionis cultricem fideliſsimam peropportuna morte hinc ſuſtulit, ne illam poſt homines natos, tot omnis ſexus, ætatis, conditionis, ordinis hominum in vno regno vnoq; tempore triſtiſſimam, funeſtiſsimamque cædem atque lanienam, totq;, qui illam conſecuti ſunt, horribiles, miſerabileſque caſus audire, ſpectare, ſubire ipſa cogeretur. Iam verò (vt ad noſtrum hoc decus, & ornamentum redeamus) ſi mentem animumque noſtrum à plurimis illis præſentibus, & futuris malis quibus liberatus eſt, conuertamus ad illa bona, illamq; beatitudinem, qua nunc fruitur, quid illa quæſo dignum ſatis vel dici, vel cogitari poteſt? Illa enim, vt S. Paulus loquitur, nec oculis cerni, nec auribus accipi, nec mente, & cogitatione comprehendi in hac vita poteſt. Superat enim, atq; longiſsimo quidem interuallo ſuperat eius magnitudo humanarum cogitationum intelligentiam, & facultatem, ad quam etiam illius mens corporis adhuc ergaſtulo incluſa, ſemper omni impetu aſpirauit. O vtinam nos quoque illius & exemplo, &, quibus ſæpè vſum illum fuiſſe apud nos meminimus, fideliſsimis ardentiſsimiſq; cohortationibus impulſi, eandem cœleſtem, immenſam, infinitamq; beatitudinem nobis ſemper ante mentis noſtræ oculos proponentes, ad eam maiori ſtudio, cupiditateque inflammati raperemur. Id enim ſi à nobis fieret, meliorem certè ſanctioremque vitam coleremus, omneſque huius vitę, mundiq; cum ęrumnas, & moleſtias patien-

tius ferremus, tùm delitias & voluptates, blandissimas peccati illecebras, firmiore, fortioreq; animo repudiaremus. De qua ipsa nunc quoque, vel magni saltem illius doloris, quo tanti viri amissione, desyderioq; meritò omnes tangimur, & angimur, aliquo modo solandi, leuandiq; causa, in illius ipsius, de quo omnis hic nobis est sermo, quædam dicamus. Quanta igitur Deus immortalis, quàm fœlix, quamq; beata status conditionisq; illius facta est commutatio, ita vt non vitam cum morte, quemadmodum vulgò loquimur, sed mortem potius cum vita commutasse optimo iure dicendus sit? Nam primò pro bonis istis terrenis, & corporeis, nunc possidet vera illa, solida, æternaque bona, hæreditatem illam cœlestem, & luculentam, quam Deus ab æterno electis suis destinauit, thesauros illos perennes, qui neq; tinea confici, neq; erugine consumi, neq; furto surripi, neq; vi aperta, & manifesta eripi possunt. Deinde pro vestitu, cibo, potuq; corporeo, quo in his terris aduersus caloris, frigoris, famis, atq; sitis vim, iniuriamq;, cui omnino vita hæc nostra est obnoxia, necessario, eoq; frugalissimo sanè, tenuissimoq; vsus est, nunc splendida illa candidaque, cuius in Apocalypsi fit mentio, nuptiali, seu triumphali veste, diuino collustrata lumine ornatus, illius Abrahami, Isaaci, Iacobi, hoc est, omnium electorum conuiuij verè vitalis particeps, illo angelorum nectare, & ambrosia cœlesti pascitur, & fruitur. Præterea illius labores, curæ, solicitudines, vigilię, animi corporisq; dolores, angores, suspiria, lachrymæ, quibus in hoc mundo Christi ecclesięq; potissimùm nomine vexatus assiduè, & exercitatus fuit, suauissimo somno, placidissima quiete, Abrahę illo seu potius Christi molli delicatoq; sinu, in quo nūc omnis curę, formidinisq; expers suauissimè recubat, deniq; infinitis omnem sensum, intelligentiáq; humanā superātibus gaudijs, delitijs, voluptatibus cumulatissimè compensantur. Ex hac porrò perditorū perfidięq; plenissimorū hominū turba, & colluuione, in sanctissimū illum, purissimumq; Dei patris, filij, & spiritus sancti (quē nunc non per fidē, non per ænigma, non per inuolucra, & integumenta quędā, sed de facie, ad faciē, hoc est, clarissimè videt) omniumq; beatorum hominum, angelorumq; cœtum, concilium, conspectum, colloquiumq; est trāslatus. Ex hoc quoq; cœlo corporeo plerunq; nubilo,

bilo, visis, atq; meteoris plurimis calamitosis,& horrendis ferè semper tristi,atq; funesto,in cœlũ illud nitidissimum semper,& splẽdidissimũ,cuius sol,qui est ipse Deus, nunq̃ occidit,quodq; beatissimis illis mentibus ceu astris quibusdã clarissimis est distinctũ,euolauit.Deniq; ex terra hac mortaliũ,in terrã illam viuentiũ,ex hoc mundi gurgusto,corporisq; carcere,peccatiq; seruitute in illã summã animi, corporisq; libertatẽ,ex hac peregrinatione,siue exilio vago,incerto,atq; instabili in cœlestẽ illã firmam,stabilemq; patriã, ex templis istis hominũ opere manuq; confectis,in quibus verbi diuini prçconẽ agere est solitus,in tẽplũ illud ἀχειροποίητον, & inuisibile,ex fide ad visionẽ,ex spe ad speciẽ,ex tenebris ad lucẽ,&,vt vno verbo dicã,ex terra in cœlũ,ex morte ad vitã à Deo ipso est euocatus. Quid dicã porrò de amplissima illius gloria,qua in cœlis pariter, atq; terris floret,semperq; florebit? Ille quidẽ,quandiu in his cçteris versatus est,Dei gloriã suis & dictis,& scriptis, & factis illustrare,ac longè lateq; per oẽs populos, omniaq; sçcula propagare omni studio est conatus.Deus itaq; (qui, vt Dauid loquitur,honorantes se honore,ignominia afficiẽtes,ignominia afficit)duplici,& quidẽ egregia gloria illum coronauit.Vna est,quæ hominũ mortaliũ prædicatione laudationeq; continetur,virtutis sanè merces,prçmiumq; splendidissimũ,quã ille licet non quæsiuerit potissimûm, gloriaq; diuina longè posteriorẽ duxerit,tamẽ Dei munere atq; beneficio maximã,amplissimamq; est consecutus. Clara enim & illustris illius dictorum,factorũ,præstantissimorumq; in patriam nostram,ecclesiamq; beneficiorũ fama,nequaquã Heluetiæ,Germanięq; nostrę terminis circumscripta,longè lateq; per omnes ferè orbis terrarũ regiones,atq; populos diffusa atq; disseminata est,præclarçq; illius virtutes omniũ ferè hominũ literis,linguisq; celebrantur. Atq; hanc quidẽ illius famã,& gloriã non saxis quibusdã,sed literarũ monumentis prçstantissimis incisam atq; inustã, nulla quãdiu hic mundus stabit,hominũ obliuio,obliterare,nulla vetustas obruere,nulla inuidorũ maleuolorũq; conuicia,atq; calumnię obscurare poterunt.Sed altera est, qua Deus illũ ornauit,gloria longè maior,prçstãtior,magnificẽtior,quã ille potissimũ in hac vita spectauit,ad quã incredibili animi impetu studioq; cõtẽdit,cœlestis,sempiterna,immortalis,

quæ non in hominum mortalium, sed summi illius regum regis, ac dominorum domini, nec non omnium angelorum, martyrum, cœlitum denique testimonio, sententia, prçconio clarissimo celeberrimoq; sita est. Quòd si igitur, vt Cicero verissimè inquit, via laudis, dignitatis, & honoris est, à bonis viris, sapientibus, & benè natura constitutis laudari, & diligi, quantò maior quæso infinitis partibus Bullingeri nostri gloria, laus, dignitas censenda est, qui non à mortalibus solùm hominibus, sed ab ipso Deo immortali, vniuersoq; illo cœlitum choro laudatissimo laudatur, atq; diligitur? Hæc illius laus, & gloria omnium sæculorum memoria vigebit, de illius amplitudine nunquàm vel æternitas ipsa conticescet. Quamobrem pingui licet, crassaque Minerua, verissimè tamen hunc quidem in modum de illo mihi lusisse videor:

Corpus in his terris iacet, at cor, mensq; beata
In cœlis viget, & gaudia summa capit.
Nominis illustris nunquàm moritura per orbem
Fama volat, magno parta labore volat.

Hæc est, hæc est inquam, patres, fratresq; obseruandi, quam paucis adumbrare sum conatus, summa ineffabilisque illius beatitudo, qua nunc corporis hac compage solutus, Dei misericordia fruitur, & in æternum fruetur. Nobiscum verò, proh dolor, pessimè miserrimeq; actum esse quis dubitet, qui tanto viro priuati, spoliatique sumus? Nostro hoc insigni incommodo, detrimentoq; dolendi iustissimas causas habemus, cui etiam nullus luctus par videtur dici posse. Funus illius maximo omnis sexus, ætatis, ordinis hominum concursu, frequentia, celebritate, lachrymis, ita vt par fuit, decorari, cohonestarique vidimus. Illi itaque, si verum dicere volumus, quasi triumphus, nobis verò miseris, viuis, & viuentibus, vt ita loquar, funus sanè funestissimum, acerbissimumq; ductum fuit. Nam quemadmodum familia suo patrefamiliâs, grex suo pastore, nauis suo gubernatore, ægrotus suo medico priuatus, non potest non in extrema vt miseria, & periculo, ita luctu atque mœrore versari: ita nos quoque his præsertim desperatis, deploratisque nostris temporibus, atque moribus tam prudente, sapiente, vigilante, forti, cordato, patriç, ecclesię, scholę patrono, prçside, tutore, ac defensore

orbati,ac proinde in extremis miserijs,periculisque constituti, maximo,vixq; consolabili dolore optimo iure affecti, afflictiq; sumus. Luget enim patria,quæ patrem humanissimum, mœret ecclesia, quæ pastorem vigilantissimum, contristatur schola, quæ scholarcham fidelissimum, lamentatur Curia, quæ consiliarium prudentissimum, affligatur nostrum collegium, quod defensorem grauissimum,sordent pauperes & inopes,qui oppitulatorem promptissimum, squalent viduæ atque pupilli, qui tutorem optimum,plorant peregrini & exules,qui hospitem liberalissimum,lachrymantur corpore animisq; ægri,qui consolatorem dulcissimum amiserunt. Ipsæ denique leges, iudicia, pax,concordia,disciplina ingemiscunt atque suspirant, quibus suo vindice,patrono prudentissimo,atque fortissimo est carendum. Et quis quæso fuerit tam durus, tam saxeus, tam ferreus, tam omnis humanitatis,communisque sensus expers, qui non tanta hac communi clade & calamitate vehementissimè perturbetur,cùm ipsum quoq; cœlum hoc aereum, atq; æthereum rationis licet sensusq; expers,tamē simul atque hoc suo præstanti,eximioq; incola spoliatum fuit, derepente serenam,nitidamque suam faciem præ nimio quasi dolore, atq; pudore contraxisse,nubibus atris,ceu vestibus quibusdam sordidis obduxisse, tonitrua, fulgura, turbines,ceu gemitus, suspiria, voces, & clamores lamentabiles emisisse, largam deniq; pluuiarum veluti lachrymarum vim profudisse,satis superque constet? Certè ipsa quoque terra bruta sanctissimi illius viri vestigijs viduata, ipsa quoq; templa preclaris illius vocibus spoliata in luctu,squalore, sordibus versari,ac volutari videntur. Quantam præterea,proh Deum immortalem, ipsi quoque peregrini, & extranei homines,ecclesiæ,populi,qui illius,vt suprà dictum est, pietatem,doctrinam,sapientiam,humanitatem, cæterasque insignes animi, ingenijq; virtutes nō modò admirari,suspicere,laudare, verùm etiam ijs vti fruiq; consueuerunt, quantam inquam, putatis ex tristissimo hoc illius mortis nuntio molestiam trahent, quantum dolorem, luctumq; haurient? Sed impedior iam egomet cùm vestro omnium cuius in ore vultuq; vestro lugubri, singultu,gemitu,suspirijs manifesta indicia video,tum meo insigni singulariq; dolore, ne plura verba faciam. Quamobrem vt di-

cendi finem faciam,quædam adhuc, quæ in tanto casu officij muneriſq; nostri ratio postulare, seu potius flagitare videtur, adiungere atque subijcere operæpretium mihi facturus videor. Ac primò omnium recens hæc, quam Deus nobis inflixit, tam tristis, tam dura, diraque pœna, tanti nimirum viri priuatio ad pœnitentiam, vitę, morumq; in melius correctionem, & emendationem nos omnes inuitare, incitareque debet. Lugeamus, & quidem ex animo, dolenter, acerbeq; lugeamus non modò optimi illius nostri parentis nobis omnibus pernitiosissimum obitum, verùm etiam multò magis crebra, grauia, & atrocia nostra peccata, quibus Deus irritatus illum à nobis abstraxit, eorumq; veniam à Deo supplici prece contendamus. Deinde gratias eidem Deo immortali agamus, quòd singulari eius benignitate tanto viro nobis tandiu frui licuit, ex quo innumera in nos omnes emolumenta, atq; ornamenta profluxerunt, quorũ vim, eheu, nunc carendo melius, quàm antea fruendo, experiemur. Tùm etiam optimi illius nostri fidelissimiq; patris memoriam pia & grata mente prosequamur, de illo, sicuti profectò meritus est, honorificè & sentiamus, & loquamur, semper illius famam, laudem, honorem ab inuidorum, & maleuolorum (si qui tam immanes reperientur, quod mihi quidem monstri portentiq; simillimum videtur fore) maledictis, conuicijs, calumnijs vindicemus, nostram denique qua illi ob innumera eius in nos omnes beneficia atq; merita, obligati obstrictiq; sumus, animi gratitudinem in eius posteros quauis data & oblata occasione expromere studeamus. Præterea cum illum nobis Deus quasi egregium quoddam omnium virtutum exemplar lumenque proposuerit, illius vestigia sequi, ad illius imitationem vitam nostram pro virili formare, componere, accõmodare debemus. Adhuc ardentissimis precibus à Deo flagitemus vt omnes alios, qui sunt in vrbe agroq; nostro, pios & fideles ecclesiæ ministros saluos incolumesq; conseruare, sancti sui spiritus donis magis magisq; cuumulare, illorum vitam & ad suam gloriam, & ad Ecclesiæ salutem in multos annos prorogare velit. Præterea ab eodem enixè suppliceſq; petamus, vt in huius nostri optimi pastoris locum, alium aliquem pro immensa, & infinita sua potentia, ac bonitate suffici surrogariq; curet, cui non sua gloria,

commoda,

cõmoda,emolumentaq;, sed ipsius Dei gloria, ecclesiæq; salus curæ,cordiq; sit,& vt eum,qui electus fuerit, sapientię ac fortitudinis spiritu ita augeat,confirmet,atq; corroboret,vt tam graue,& arduum munus in periculosissimis hisce ac turbulentissimis tempestatibus prudenter sapienterq; administrare posit. Te postremò Iesu Christe fili Dei vnigenite toto pectore precamur, vt tuam ecclesiam ceu tuum gregem, tuum peculium, tuam domum,tuum templum, tuum regnum, tuum sacerdotium,tuum corpus,tuam sponsam,amores delitiasque tuas contra omnes Diaboli, illius ministrorum atque satellitum conatus,consilia,vim,violentiam,fraudes, dolos, insidias clementissimè tueri atq; defendere velis. Vobis autem, patres fratresq; obseruandi,gratias ago ingentes, quòd me tam attentè,patienterq; audiuistis,vosq; rogo,& obsecro, vt hæc si non tanti viri laudibus,vestrisq; eruditis auribus digna,at,ita me Deus amet, verè atque ex animo à me dicta,pro æquitate humanitateque vestra in bonam partem accipiatis.

FINIS.

TIGVRI EXCVDEBAT CHRIST. FROSCHOVERVS M. D. LXXV.



4147

